Hip. Mag. Coi Opera
Nov. Ord. Dig.
Fickel 1833

BIBLIOTHECA

GRAECA MEDICA

SIVE

OPERA QUAE EXSTANT OMNIA MEDICORUM GRAECORUM AD FIDEM CODICUM ET EDITIONUM VETERUM MAXIME CORRECTA VARIISQUE LECTIONIBUS AUCTA.

INSTITUIT ATQUE COMPOSUIT

CAROLUS GULIELMUS FICKEL

M. D.

VOLUMEN PRIMUM.

ADDITA IN FINE SUNT FRAGMENTA MEDICORUM DEPERDITORUM MAGNO STUDIO COLLECTA, GLOSSARIA ET LEXICA GRAECA, ETIAM FOËSII OECONOMIA AD VETERUM LECTIONEM PERNECESSARIA LONGE EMENDATIOR ADDITAMENTISQUE LOCUPLETATA.

ZWICCAVIAE, SUMPTIBUS AUCTORIS.

LIPSIAE, IN COMMISSIS LEOPOLDI VOSSII.

MDCCCXXXIII.

SCHNEEBERGAE,
Typis Schumanni.

HIPPOCRATIS MAGNI COI

OPERA

NOVO ORDINE DIGESTA.

AD FIDEM CODICUM ET EDITIONUM VETERUM RECENSUIT, EMENDAVIT VARIISQUE LECTIONIBUS INSTRUXIT

CAROLUS GULIELMUS FICKEL

M. D.

PRAEMISSUS EST CONSPECTUS MEDICINAE VETERIS AD HIPPOCRATIS USQUE AETATEM.

ZWICCAVIAE, SUMPTIBUS AUCTORIS.
LIPSIAE, IN COMMISSIS LEOPOLDI VOSSII.
MDCCCXXXIII.


AD
DE
SIEBOLD


LIBRARY

Praefatio.

Moris fuit veterum ut quae ad rem pertinerent quam diligentissime investigarent, quae a majoribus suis accepissent ex aequo spectarent judicarentque, omnia sobrie ac fide observata temporisque aeternitate confirmata in usum artis adhiberent quaeque magno studio didicissent posteritati traderent ad deliberandum; apud nos communis jam invaluit consuetudo rebus veteribus nova anteponere, argutias et materiam undecumque sumere ad novas rationes disciplinae captiose concinnandas, quaerere quae habere non possumus, confidenter eruere quae in profundum quasi abjecit natura, caeteris omnibus rebus quae sunt ante oculos positae plane posthabitis. Quum igitur nostri ex magna parte

cursum suum in disjunctissima maximeque diversa loca direxissent, veritas tamen una esse possit, error multiplex et varius; multi jure sunt veriti ne illi a proposito longe aberrantes artem nostram tanta jam mole ineptiarum obrutam longissimisque anfractibus late diffusam et suis ipsius ruderibus paene sepultam in extremum discrimen perducerent. Quid non efficiat, non impediat genius aetatis? Sed homines isti quidem deserant licet instituta vetera falsaeque gloriae umbras consectentur et si volunt putamina sumant nucleis abjectis, veniant igitur isti contemptores delicati literarum a majoribus acceptarum; veteres tamen nomen suum gloriosissime dederunt immortalitati nec nos pudebit eorum scriptis operam dare. Neque vero desunt qui ut medicinae veteris vindices et statores videantur juventutem ad tales artes vehementer colendas saepe adhortari solent, nulla tamen vi auctoritatis adhibita, quod plurimi qui se ad hoc studium contulerant nescio quo casu veluti tempestate quadam delati in mare immensum violentissimisque jactati undis navem ad scopulos adpulerunt. Unde quos non natura, ab ea ratione literarum deterret voluntas. Fuerunt enim qui apud Graecos fontem esse arbitrarentur omnibus sapientiae praeceptis abundantem ex ejusque perennitate emanare omnia quae ratione medicinae continerentur, nec licere cuiquam digitum transversum discedere a sententia veterum, nisi vehementer errare vellet.

Alii metu difficultatis magnae, nullius fructus ab iis studiis prohibiti monumenta veterum temere despiciebant et pro nihilo putabant, quaeque ab iis tradita egregie sunt absurda et inania esse omnia dicebant. Ex aliorum judicio illa scripta opportunam praebent occasionem graece se exercendi nec quicquam aliud nisi argutias subtilitatesque dicendi exhibent ac putidae interpretationis uberrimam copiam dant doctoribus, quia non praesentes utilitatis habent fructus. Sed haec sunt merae nugae. Alii denique qui graece sciebant et judicio valebant hoc ita cogitantium garritu minime absterriti in veterum scripta studiose operam dederunt, hominum illorum excellentium imitatione mentem suam conformarunt, animum doctrina exquisita excoluerunt, medicinam illustrarunt in eaque admirabiles exstiterunt nobis utilitati, sibi honori; qui nisi ad maximos otii fructus percipiendos adjuvari se vidissent, animum ab eo studio omnino avocassent nec idem juvenibus faciundum censuissent. Ac profecto summi viri omnes qui celebritatem suam famae amplitudinemque acceptam referebant liberalitati Graecorum de utilitate medicinae veteris uno ore consentiebant; nec vero ea in bene existimantium invidiam umquam deducta est. Quod si igitur judicium virorum omnium doctorum consensu adprobatum aliquid valebit, si illa ratio medicinae fere a primo ortu fluctibus temporum turbulentissimorum agitata multisque invidiae op-

pressa injuriis, numquam debilitata aut fracta adversis fuit et violentissimos impetus astutiae stultitiaeque furores importunos repressit, si denique persuasum nobis est humeris veterum nos sustineri cognitionemque omnem nostram solivagam et jejunam sine ea facultate esse; nostra profecto plurimum intersit veterum memoriam recolere ab iisque traditam nobis artem tot et tantis praesidiis rationis circumseptam tueri omnique animi contentione adjuvare, non in brevia et syrtes deducere ut cursum suum secundissimo vento institutum amplius tenere nequeat. Hoc autem munus non solum nobis, sed patriae debemus. Quid multis? Aetas nostra spem magnam nobis ostendit, fore ut ea studia jam jam reviviscentia brevi maxime floreant uberrimosque laborum nostrorum fructus promittant, modone sint qui a falsis profecti initiis respondeant, neminem medicum ex medicina veteri exsistere posse. Verum haec eorum est querela in quibus nullus est sensus humanitatis, cupiditas magna morborum medicamentorumque nomenclaturam memoriae inculcandi; contra eosque lubenter diceremus, nisi cum larvis et umbris luctari nobis videremur.

Nam si quis omnium saeculorum percurrat memoriam inde ab inventae medicinae temporibus repetens; inveniat profecto artis nostrae fundamenta uberrimumque doctrinae fontem apud Graecos exstitisse, a quibus pleraque acute cogitata et scripta unde quidem, sed egregie

sunt. Quapropter veteres sapientiae nostrae auctores, recentiores gloriae participes semper existimans ita demum splendorem arti nostrae maximum accessurum sperabam, si et ad illorum magnitudinem consequendam et ad recentiorum diligentiam observandam et ad utriusque aetatis operam imitandam nos compararemus. Quam ob rem hominum illorum qui tantam et ingenii et doctrinae admirabilitatem habebant vestigiis insistamus, inchoata ab illis persequamur, fontes uberes quos nobis aperuere studiose consectemur cogitationemque nostram ad naturae liberalissimae imitationem potius dirigamus, ut nobis ipsi senescentes videamur operam non temerariam in ea arte collocasse quae in conservatione salutis ac vitae hominum evigilare debet. Ac libri Graecorum magna sane rerum omnium copia et sententiarum varietate abundant nec ullus medicinae locus ab illis praetermissus est. Neque vero id solum videmus medicinae contigisse cui lumina non defuerunt, sed etiam aliis artibus quae ad eam proxime pertinent.

Ad medicinae autem dignitatem maxime adhibenda retinendaque est auctoritas Hippocratis et Aretaei, quorum uterque morborum formas praeclare adumbravit medendique praecepta optima tradidit. Ab Hippocrateque chirurgicen non minus diligenter tractatam et plurima in eam rem inventa esse scimus, cujus et praeceptis ea de re deinceps usi et scripta illustrantes Apollonius Citienses, Antyl-

lus, Paullus et alii chirurgicen haud vulgariter excultam reliquerunt. At in arte medendi maxime colenda illustrandaque operam summam atque studium impenderunt Asclepiades, Galenus, Alexander Trallianus; quorum scripta quantam vim rerum pulcerrimarum contineant dici vix potest. Oribasiique qui multas reliquias scriptorum deperditorum non sine nitore collectas nobis servavit nomen ut aequum est grate nominamus. Neque vero contemnenda sunt opera Theophili, Actuarii, Alexandri Aphrodisiensis, Palladii, Synesii, quorum suam quisque partem medicinae habebat in qua maxime elaboraret. Et historia naturae medicamentorumque cognitio altissimum gradum excultionis adepta fuit rerumque temporis longinquitate confirmatarum plena. In qua re praestantissimos fuisse viros accepimus Aristotelem, Theophrastum, etiam Nicandrum et Dioscoridem, in quibus omnibus tanta fuit ubertas doctrinae ut ad eam nihil posset accedere. Aristoteles quidem non minus ingenio quam felicitate adjutus in cognitione perspicientiaque rerum naturae viam quamdam est ingressus in quam antea se dederat nemo; et permulta eaque obscura quae ea ratione literarum continentur mirifice enucleavit multis quaestionibus acute propositis quas posteritas dissolveret. Dioscorides, Galenus, Aëtius, Paullus et qui his sunt similes in medicamentis eorumque virtutibus cognoscendis multi fuerunt et tanta earum rerum scientia praestiterunt ut

nemo studiis eos aequiparare posset. Sed idem Galenus cujus studia latissime patebant, Rufus Soranus, Theophilus, Nemesius quorum quisque singulare quiddam consectabatur, anatomen et physiologiam ex umbraculis eruditorum in solem et pulverem mirabiliter protulerunt; ab hisque permulta de ea re sunt egregie exposita multaque copiose disputata quae nostris maxime noscenda censuerim. Denique ut alios praetermittamus scriptores chemiae studio illustres qui et vetustate summa et literarum aliarumque rerum similium gravitate se admodum commendant haud indigni videntur, quorum scripta situ et atro pulvere squalentia renovemus ac praecepta optima in usum nostrum adhibeamus. Ex his enim Synesius quidem, Zosimus, Olympiodorus et alii de rebus gravissimis fuse disseruerunt in diversissimasque vias observandi experiundique se dederunt. Ex quibus igitur breviter dictis intelligi par est studia Graecorum in omnes fere partes medicinae pertinuisse ex eorumque scriptis tamquam fontibus doctrinae uberrimis multa derivari posse, quae non modo nos scientia augeant, sed etiam omnibus qui in hac vel illa parte artis nostrae tabernaculum vitae collocarunt magnam vim rerum suppeditant quibus hortulos suos irrigare possint, si modo talibus fontibus bene uti valebunt. Sed quum mecum cogito de multitudine medicorum veterum quorum scripta ad aetatem nostram pervenerunt, in eam facile devenio sententiam

ex eorum scriptis et dictis quum intima vitae communis instituta maxime adtingant etiam multa sumi posse instrumenta ad scientiam haud mediocrem sermonis graeci domestici adipiscendam. Itaque magnopere optandum est ut philologi et grammatici ea inde petant quae ab ipsorum doctrina longissime peregrinata absunt. Verum tempus illud adpropinquat quum ista omnia inculta et horride jacentia largissimam fructuum messem promittant. Atque haec universe a me dicta existimari velim.

Etsi itaque sperabam quum me ad opus hoc magnum quidem et facile impeditum contulissem quamvis rem aliquam a vulgi opinione remotam, sed tempore superiore ab omnibus eruditis hominibus perdiligenter tractatam rursus recolerem, me operam et impensam non prorsus perditurum huncque laborem meum temporibus nostris, moribus et studiis quodam modo bene responsurum, etsi non nesciebam si bibliothecam graecam medicam ad juventutis usum maxime adpositam in lucem edidissem fore ut multorum medicinae studiosorum desideriis, aliorum etiam precibus occurrerem; tamen ego quippe virium mearum imbecillitatis haud nescius non sine timore eam operam tantae molis tamquam primum laborum meorum periculum suscepi nec potui profecto hominum vituperationem devitare, quum multa ipse desiderarem et alia a votis meis plane abhorrentia viderem a quibus reprehensionem non

abfuturam optime sentiebam. Quum tamen non ita simus vani popularisque amatores aurae ut quid quisque de nobis et laboribus nostris judicet magnopere laboremus, quumque omnes qui se in aciem contulerunt pericula ejusmodi subterfugere non possint; contra veritatem judicum aequorum non repugnabimus, quin potius grato animo ab iis jure notata et reprehensa accipiemus.

Quinque demum sunt anni quum in hoc genere literarum coepi plus operae ponere, et in eo maxime elaborare ut medicinam veterem quam possem diligentissime cognoscerem; sed quum graecorum medicorum libros horis subsecivis mecum legebam moles mendarum vitiorumque innumerabilium quae iis insperserat librariorum vel interpretum ignorantia saepe me impedire solebat quominus scriptorum eorum sententiam intelligerem. Ob hoc collectanea ut vocantur jam pridem institui in quibus quae utilia videbantur ex scriptis illis excerpta accurate notarem. Hippocratis et aliorum auctorum libros ad fidem codicum maxime emendavi meo ipsius judicio subinde interposito, atque hoc ante anno et quod excurrit quum ad Doctoris dignitatem pervenirem capita octo libri Hippocratis de aëre, locis et aquis, tamquam specimen et cotem laboris mei exhibui. Ex quo tempore quum injustum existimarem rerum pulcerrimarum fundamenta aetati nostrae subducere, saepe mecum cogitabam non inutilem

quamquam difficilem fore laborem, si omnia opera quae graece sunt de medicina conjunctim ederentur et in uno quasi omnium adspectu ponerentur. Hoc ut mihi proponerem hortata maxime est me mea discessio e vita scholastica medicinae in alteram ab initio otiosam quae in medicina exercenda versatur. Nam quum illo tempore medicinae faciundae caussa Zwiccaviam me contulissem, bibliothecam ibi haud exiguis instructam literarum ornamentis inveni cujus ad scrinia aditum mihi patefecerat Hertelius, Rector Lycei Zwiccaviensis optime meritus, vir clarissimus mihique societate conjunctissimus. In hac bibliotheca (excipio alia opera) supellectilia optima quidem, sed non multa medicinae veteris reposita adservantur quae maximam partem ab eruditissimo illo Jano Cornario relicta sunt. Quo nihil gratius, nihil optatius potuit mihi contingere quum multa quae ad eam rem pertinent seposita jam haberem. Quare inde ab eo tempore coepi de illa re magis cogitare et has plagulas quasi prodromos bibliothecae hujus nostrae per otium conscripsi.

Non desunt librorum graece scriptorum editiones eaeque ex aliqua parte optimae, sed aliae in officinis librariis non amplius exstant, aliae sunt ejusmodi ut ad omnium usum non satis accommodatae videantur nec in omnium medicinae deditorum manibus versari possint. Plerique enim libri sunt tot vitiis mendisque contaminati vel ita misere interprolati ut eorum

intelligentia saepe magnas habeat difficultates, vera sententia interdum erui non possit, nisi aliorum laboribus melioribus accurate adhibitis. Tum omnibus fere scriptis quae ex eo genere in lucem prodierunt latina aliave interpretatio est addita, vel etiam commentatio prolixa, quod quidem per se minime improbo, sed tamen illud non vereor adfirmare, eam rem ipsam facere ut plerique latinitate confisi graeca derelinquant et rerum optimarum mala interpretatione aut obscuritate ab eo studio deterreantur, omnesque libros tales nisi cum delectatione legant de manibus ponant. Neque vero potest fieri ut quis mentem scriptoris alicujus alio sermone penitus exprimat; ac pauca ita translata sunt ut in bonis haberi possint. Itaque omnem in ea re operam male consumi dixerim, praesertim quum omnes ii qui medicinae veteris studio dediti sunt ista adjumenta non desiderent et alios qui graece nesciunt ob idque ingenium scriptoris cujusvis graeci cognoscere numquam possunt illorum studiorum odium capere soleat. Sed res sic se habet. Alii ut medicinae veteris adsertores viderentur libros praeclaros ediderunt textu vitioso minime emendato, paucis tamen notulis adjectis. Alii eam praestiterunt levitatem ut si quae vitio laborare viderentur medicinam intempestivam adhiberent, multa interpolarent, conjecturas conjecturis adderent, quaeque emendari debebant negligenter relinquerent; aliorum temeritas fuit tanta ut quae

minus inter se cohaerebant libere tollerent et sua a mente scriptoris aliena substituerent, multis tamen etiam maxime correctis. Denique non defuerunt qui ut medicinae veteris quoque dictatores putarentur vel potius lucrum facerent opera scriptorum quorumdam nitide recudenda curarent interpretatione non plane contemnenda addita, mutarent formam voluminum, textum graecum vitiis scatentem denuo ederent aliena benignitate maxime confisi. Sed tamen horum editorum sua cuique laus tribuenda est, quod optima consilia rem dederint. Neque vero id omnibus videmus contigisse ut scripta vetera arbitrio suo deturparent vel pro instrumento haberent quaestum faciundi; quin etiam viri aliquot maximi in scriptis ejus generis edendis excellentes exstiterunt, et de ea re optime meruerunt, si forte Mercurialis, Foësius, Sprengelius, Kuehn et alii ingenii celebritate non minus quam laborum gloria illustres in hoc numero haberi possunt.

Quae quum ita sint adparet, castigationem emendationemque accuratam horum librorum temporis nostri desideriis maxime congruentem quidem, sed etiam undequaque difficillimam esse nec posse fieri ut scripta vetera ab alienis sordibus repurgemus, nisi multis instrumentis uti liceat. Quod tamen ut aliqua ex parte adsequeremur editiones omnes quotquot conquiri a nobis potuerunt in usum adhibuimus codicumque et ab aliis et a nobis collatorum lectiones

varias diligenter inspeximus, sed ita ut si quam lectionem auctoris usui dicendi vel verborum continuationi accommodatiorem invenissemus eam adoptare non dubitaremus. Attamen in tantas saepe dubitationis salebras incidebam ut quae mendose scripta aut per librariorum operarumve negligentiam supinam vel inscitiam vitiata erant sine ullo adjumento auctoritatis corrigere coactus essem; quamquam in ea re timidior semper esse malui quam audacior, quod facilius est reperire corruptelas quam corruptis mederi. Tantum igitur abfuit ut me meis optatis in omni re satis facturum sperarem, ut potius multa viderem commilitonibus meis relinqui ad castigandum emendandumque; quibus tamen ut certe viam minus salebrosam pararem lectiones varias textui subjungendas censui. Praesidia ipsa quibus usi sumus suo loco et tempore indicabimus. Caeterum scripta singula in capita divisimus ut quid quisque vellet facilius invenire posset; omniaque quam diligentissime distinximus. Praeterea autem nolebamus eorum precibus deesse qui opera manu scripta quae in bibliothecis recondita latent in numero eorum quae sunt in lucem edita jam diu desiderabant. Ob eamque caussam vel maximam dabamus operam ut ea omnia ad manus nostras pervenirent. Huc maxime velim referri scripta Aelii Promoti, Aëtii libros octo extremos quos quidem Weigel vir et ingenii et doctrinae facultatibus paratissimus editurum se promit-

tebat; opuscula Callisti, Constantini Meleniotae, Marcelli, Mich. Pselli et quaedam Actuarii, Catacuzeni, Georgii Sanginaticii et aliorum multorum.

Ex chemicis possumus proferre Synesium, Zosimum, Olympiodorum, Pelagium, Stephanum Alexandrinum, Democritum et sic porro; Archigenem ex chirurgis, Heliodorum, Antyllum, Asclepiadem, Apollonium Cittiensem cujus libros tres (reliqui absunt) de articulis manu scriptos Florentia a de Furia accepit Kuehn, vir nominis celebritate perillustris; Soranum et qui his sunt similes. In hac autem bibliotheca nostra ut nihil deesset quod aliquam medicinae tractationem aut explicationem continet, fragmenta quoque medicorum, quorundam non contemnendorum quorum scripta temporum iniquitate interciderunt in unum volumen collecta ad calcem bibliothecae nostrae adjungere decrevimus; et inter ea Platonis sententias medicas quas a Lichtenstaedt collectas habemus suo loco positas voluimus. Atque Aristotelis et Theophrasti scripta plurima in rem nostram quoque pertinentia excipient libros Hippocratis cujus edendi initium fit. Denique est nobis propositum oeconomiam Foësii ad studia medicinae veteris pernecessariam paullo limatius elucubrare eamque explicationibus permultis locupletatam maximeque correctam in lucem emittere, ut commentariorum nimis amplorum aliarumque rerum similium usu supersedeamus. Ac si fato divino nobis con-

tinget ut hoc opus continuemus et ad finem perducamus; ita labori nostro speramus colophonem imponemus.

Alia sunt quae restant. Lectio medicorum graecorum ut medicinae studiosos magis delectaret in eaque re valde adjuvaret, rerum medicarum historiam ab antiquissimis temporibus usque ad Hippocratis aetatem repetens breviter exposui. Jam operam dedi ut a quibus initiis medicina profecta, qualis apud antiquissimas gentes et a quibus hominibus culta fuerit pro virium mearum modulo compendiose proponerem, in primis earum rerum quae cognitione dignae viderentur ratione habita. In qua tamen re quum quae de veterum illorum vita ac studiis sunt tradita pleraque incerta admodum et suspecta essent; is modus, ea ratio adhiberetur oportuit ut perpauca possemus consectari, errores non effugere. Sed tamen monumentis veterum quam fidissime usi fuimus. Ita existimabam fieri posse ut quivis medicinae veteris aliquam notitiam habeat ejusque praecepta diversissima suo quaeque tempori convenienter judicet et eorum cum nostris comparationem recte introducat. Itemque judicabam, omnes qui eis studiis operam dare velint ad lectionem scriptoris cujuscumque ornatiores posse accedere, si praecipuas ejus sententias antea didicerint. Quare si modo operae pretium facturus sim historiam medicinae totius ad aetatem usque fere mediam sensim persequar eorum qui edi-

derunt vel literis medicis praestiterunt studia ac decreta maxime intuens. Quemodmodum igitur nunc ad Hippocratis aetatem progressus sum, sic deinceps ad singulos scriptores pergam. Atque haec habui quae adjicerem.

Scribebam Zwiccaviae die Maji vigesimo.

Gulielmus Fickel.

MEDICINAE ANTIQUAE CONSPECTUS.

Quemadmodum quae in terris gignuntur ad usum cultumque hominum omnia creantur, ita natura provida hominis talem animum constituit qui in harum rerum perspicientia sollertiaque semper versaretur et eas quae ad vitae instituta necessariae viderentur ad usus suos apte adjungeret. Ac natura quidem nihil omnino gignit sine consilio tantaque sollertia efficit omnia, ut mirifice inter se conspirent atque consonent. Quocumque enim oculis animoque nos convertamus, tantum rerum animadvertimus concentum ac convenientiam, tantam ubertatem varietatemque omni jucunditate conspersam et continuationem quamdam infinitam earum ac seriem, ut aliae ex aliis, omnes arctissime inter se nexae colligataeque adpareant. Totiusque mundi administratio ejus modi est, ut res una alterius caussa et nascatur et intereat, caussa caussae nexa rem ex se gignat ipsique homines hominibus nati sint et ad societatem salutis periculique inter sese conjuncti. Quod quum inde ab antiquissimis temporibus eruditissimo cuique maximam numinis divini admirabilitatem pareret omniumque rerum quae et extrinsecus et intrinsecus offeruntur caussas ac leges inquirendas sibi censerent, necessarium maxime fuit omnium veterum animi ad cognitionem earum atque investigationem impellerentur. Quamquam autem a primo initio omnis fere philosophia veterum in rebus ante oculos positis domesticis-

que cernitur, etsi illi veteres animum ab incunabulis superstitione maxima imbutum in rebus verum quasi occultantibus et vanis subinde volutarint ob idque ipsi in errores ablati rebus maximis quas mente concipere non possent pro manca et claudicante studiorum institutione leges quasdam necessitate naturae ipsius impulsi subjicere consueverint, hi tamen facilem habent excusationem nec ulla reprehensione aut contemptu ut fere fit digni habendi sunt, quum ipsi diu multumque satis quaerere coacti essent, nihil ut adferrent adjumenti ad studia doctrinae, sed ut principium aliquod invenirent certum ac stabile unde proficiscerentur in rerum contemplatione et cognitione. In quo quidem lapsa consuetudo sensuum quum saepe de via deflexit et eo deducta est, ut incognita haberet pro cognitis, ficta pro sinceris, falsa pro veris; tum vero id nec incommodo illorum accidit, quod ob id ipsum singulis in rebus cautiores prudentioresque in dies exsisterent. Quicquid vero hujus rei est, natura omnium rerum bonarum creatrix unum refugium veterum fuit, quibus adtentiores ad eam oculos habuit nemo.

Quam ob caussam in cognitione rerum naturae ejusque legum quibus omnia quae progignuntur intereuntque necessitas ipsius adstrinxit multam operam collocandam censebant, quaeque de ea observassent didicissentque literis consignabant aut aliis tradebant, ut suis alienisque commodis servirent. Sed alius pro suo quisque ingenio aliam rationem contemplandi instituit, aliunde etiam observandi capiens exordium quo quisque quae studio aut cogitatione adsequutus esset omnia referret. Ex alia autem ratione exoriretur oportebat alia cognitio rerum sententiarumque diversitas tanta, ut quum studia doctrinae pedetentim adolevissent multae deinceps philosophorum doctorumque inde ducerentur familiae. Quae quidem etsi re differentes eam habebant vim, ut res medica tamquam lactens in gremio matris hominum haud vulgarium diligentia liberaliter

educata unius tandem viri divini ingenio adsiduisque studiis ac vigiliis conderetur et in summum fere fastigium proveheretur. Tametsi vero superstitio tunc temporis per omnes gentes aequabiliter diffusa hominum imbecillitatem occupaverat eorumque animos eo fere trahebat, ut eas res quae humanae intelligentiae vim ac notionem fugiunt avide consectarentur; aequi tamen arbitri judicisque est, si modo veterem hanc doctrinam tenet, non tantum fateri, sed etiam profiteri, a Graecis veteribus ut hos nominem illam nostram scientiam ex tenebris in lucem clarissimam perductam ac mirabiliter excultam esse eamque ipsam ob caussam ab iisdem multa disci posse quae ignorata a plerisque aut plane contempta et abjecta non nisi maximo studio consequi possumus. Ac si vel maxime a nostris sint reperta satis multa quae veteri doctrinae defuerunt, plura tamen ab his inventa sunt atque perspecta, quae hodie nec homo umquam reperiat ullus nec facile imitatione sibi comparet; immo vero si rem ad lapidem Lydium vel ad libram exigere velis, in unam lancem imponas veterum medicorum bona, recentiorum in alteram, tum profecto veterum lancem videbis tantum propendere, ut studiorum nostrorum tenuitate eorumdemque subtilitate erubescas aut vero exalbescas. Quid plura? Omnia a veteribus nos accepisse non vides? In quibus enim studiis tam misere elaboramus et desudamus, ea ab illis sincere et quasi ad effigiem naturae scripta verborum magna sonantium pompa exornavimus eademque opinionum conjecturaliumque rerum acervis accumulantes tam lata fecimus, ut qui medicinae studio se addixit ejus animus nisi constans sit turba earum huc illuc distractus torpescat et nisi rei ejus pertaesus hoc studio destiterit totam illam medicinam a limine salutet intimis ejus partibus plane non cognitis. Hinc fit ut multi ubi auspiciis gratiosi medicorum ordinis ut vocatur ad Doctoris dignitatem provecti sint artis nostrae omnibus religionibus consecratae famam

in periculum judiciumque plebecularum sordidissime adducant. Quae si ita sint nolite artem illam quidem tunc ab Hippocrate sine ulla ostentatione ad naturae praecepta accommodatam, nunc verbis magnificis fucatam in dies magis magisque dilatare eamque nullis circumscriptam cancellis satis suadentem quidem quae prosunt dissuadentemque contraria aequi bonique facere Desinatis igitur opiniones de rebus incognitis praeceptos pro veris habere easque in medicinam tanquam in pistrinum detrudere; immo vero acquiescatis in iis quae nobis relicta sunt a veteribus, modo de his sobrie judicetis. More scilicet hominum evenit, ut alii in excogitandis novis vetera quasi decreta naturae negligant, alii in rebus minutis sibi placentes magna refugiant, aliis qui magnos sibi spiritus procacissimamque adrogantiam sumunt in rebus quae non exiguam scientiam disiderant mirificas latebras quaerentibus et ut docti videantur sublimia quaeque mentis humanae imbecillitatem superant avide consectantibus.

Verum enim vero ut vitae hominis finem constituit natura, sic animus mirabili celeritate multa agitans ad eas fere caussas evolat quae ipsum vinculis quasi adstrictum longius provehi non sinunt.

Quotus autem quisque nostrum est qui deo Aesculapio baculum illud nodosum de manibus extorqueat et ejus dracone potiatur? Quisnam est mortalium qui vincula illa quibus juncta inter se omnia cohaerent umquam resolvat? Quis se confidat posse in intima rerum naturae primordia intrare? Quis poterit umquam copiam istam rerum quas naturae obscuritas occultavit in lucem protrahere, nisi ipse mysteriis divinis quum omnis hic mundus aedificaretur initiatus fuerit? Cujus vero rei lux profecto animi imbecillis nostri aciem nimio splendore praestringit aut umbram solam intelligentiae nostrae angustiis obtendit. In speculatione igitur et venatione rerum earum quae a mentis captu remotissimae absunt tempus operamque male consumere,

otio intemperanter abutentis hominis est. Jam vero ut hae artificia et argutiae quae ita in consultudinem hominum facile illapsae haerent artis dignitatem reprimant aut vincant, illud quidem magnopere optandum est, ut, si quis deus largiretur, illos veteres naturae quasi antistites ab inferis revocare possemus, quippe qui hanc artem nostram latius vagantem errantemque componentes tutiorem vitam hominum redderent et ab imperitorum temeritate et a mortis periculo.

Quae si ita se habeant ad medicos veteres, in primis graecos animum conferamus eorumque vias persequamur omnes quibus putabo nos ad id quod volumus posse pervenire. Ex eorum enim scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis lucis fons, omnis ratio acuendi animi sumi potest, tum veritas est tanta rerum, ut nemo sine eo instrumento ad rem illustriorem difficilioremque satis ornatus possit accedere. At quam multi sunt in numero tam exiguo medicorum qui lucem refugiant, timentes ne quid oculis fiat offensionis ob idque in tenebris oblitescant! Blattarum more vivere quid est aliud nisi vitam vitalem non agere vel ejus bonis se privare? Homines isti quidem si animo cogitarent quam facile in tenebris hallucinarentur vitaeque periculum adirent, nihil nisi loca luce collustrata peterent et oculi ipsorum mire corroborarentur. Qua de caussa rationem illam fertiliorem a veteribus venerandis institutam omni cura omnique studio teneamus et retineamus, ut non nobis solis, sed et aliis prosimus nec temerariam vitam vixisse videamur. His saltem ducibus et magistris egemus, si in arte proficere velimus. Ad horum autem virorum summorum et doctrinam et ingenii excellentiam cognoscendam aditum nobis patefaciet historia, quae tamen ex fonte ipso hauriri debet. Haec enim, ut Ciceronis verbis utar, lux est veritatis, vita memoriae, magistra vitae, vetustatis nuncia. Quam igitur si comitem otiique sociam adjungamus ad studia nostra, eam habebimus uti-

litatem ut vetera cum novis et nova cum veteribus possimus conferre deque praestantia rerum quas temporis longinquitate adsiduoque usu habemus comprobatas recte existimare, inchoata a veteribus si non absolvamus certe persequamur ab iisdemque frustra institutam disciplinae rationem evitemus, homines eorumque mores ac vitae instituta cognoscamus et optima quaeque ad imitandum nobis deligamus. Ex earum enim rerum cognitione nascatur oportet prudentia politiorque eruditio. Et recordatio rerum praeteritarum jucunda nobis est, praesentium usus suavissimus sensibus futurarumque scientia obscura aut clara, facilis aut difficilis. Nec vero tempus est ullum quod rebus cognitione dignis prorsus vacet nihilque habeat memorabile. Hinc igitur hominibus eruditio verique studiosis utilitas redundat tanta, ut judicium acuant, augeant doctrinam, sapientiam consequantur, Platonis quamvis artis experientiam Aristotelicamque perfectionem; tum etiam possunt animum ad humanitatem conformare, mores pravos et horridos deponent, cives se meliores utilioresque praebebunt. Et haec quidem hactenus.

Iam quum studia philosophiae tantum valuisse videantur, ut medicinae faces subjicerent et ei plurimum lucis adfunderent cum eademque maximis divitiis aucta pari gradu procederent et lapsa jacerent; non a re alienum putamus, eorum philosophorum qui philosophiae studio medicinam conjunxerint mentionem adhibere. Quamadmodum autem quae fiunt quaeque aguntur omnia lenibus principiis natura praetexuit, ita medicina ab agrestibus obscurissimisque profecta initiis ex naturae ipsius necessitate ortum traxit. Quum enim homines si temporis praeteriti memoriam replicare velis quamvis exiguo vixissent corporisque robora nec luxuria nec desidia debilitassent nullo non tempore morbis paterent, et quando tantis tormentis dolorum cruciarentur ut consilii expertes omnibusque artis praesidiis destituti herbas ac radices et alia quae essent in prom-

ptu ad illos leniendos adhiberent; naturae maxime consentaneum est, medicinam iam a primo ortu generis humani repetendam esse, tametsi illis temporibus vix ac ne vix quidem vestigia ejus persequi possumus. Certe autem quum viderent medicinam sibi maxime necessariam esse, medicamentorum vim exspectationi aequalem et omnia quae boni aliquid unquam habuissent alius cum alio communicabat aut memoriae tradebat. In qua tamen re naturae ipsius liberalitas hominibus ostendit saepius viam vim morbi opprimendi vincendique; morborum recens ortorum quidem natura fere talis est ut aegrotus sciat sibi abstinendum cibis, quo facilius sine ulla ope medicamentorum ad sanitatem redeat. Sed tamen saepius in gravissimos morbos inciderunt quorum vim profligare non possent omnibus etiam quae ipsis nota fuissent frustra adhibitis, ita ut aegroti hi sine ulla spe salutis lecto adfixi jacerent. Eosque desperatos [1]) aegrotos in vico frequentissimo domestici solebant exponere, ut morbi naturam rogati a praetereuntibus possent curari qui simili morbo aliquando laborassent. Quae consuetudo vetustate retenta effecit ut plerique in herbis ac radicibus cognoscendis diligentissimi earum quoque vires observarent; quibus notatis quid cuique prodesset memoriae prodiderunt. Item vero quae ab animalibus instinctu quodam naturae fieri videbant translata ad similitudinem morborum homines invadentium in usum vocabant. Canis vorat gramen, ut alvum adstrictam laxet; anates et anserés

1) Plutarch. *ἐι καλῶς τὸ, λάθε βίωσας* p. 1128. Ed. Sylb. Frfti. 1620. Maxim. Tyrii Platonici dissert. 40. ed. Davisii p. 416. Cf. Strab. Geogr. lib. XVI. Ed. Almelov. p. 1082. et. lib. 3. p. 234. Herodoti lib. I. c. 197. Testam. nov. Marci c. VI. v. 56. Act. Apost. c. 5. v. 15. L. C. Rhodiginii Antiq. Lect. lib. XVIII. c. 22 et c. 34. Dan. Vink. Amoenit. philologico-medic. sect. I. c. 4. p. 59. Ackermanni Opuscula ad med. hist. pertin. p. 161. Joann. Langii Epist. med. lib. 3. ep. VI. p. 934. De Scotis idem dicit Zahn de orig. et progr. medic. p. 36.

utuntur lapillis quibus cibum duriorem comminuant. Hippopotamus [1]) per ingluviem adsiduam cibis obrutus exit in littus qui vestiget arundines recens caesas, quarum acutissimo stipite in corpus adacto venam aliquam sibi vulnerat et ex profluvio sanguinis offensa sublata limum plagae obducit. Ibis[2]) collo aqua ex Nilo impleto eam partem rostri aduncitate sibi perluit, qua ciborum onera reddi salubre est. Melampus[3]) Argivus quum ovibus helleboro nigro (veratro albo) solutam alvum vidisset, ejus usum in corpus humanum aegrotum transferens felicissime curavit. Homo aestuans a nimio labore frigidae cupidus ex ejus usu multum habet recreationis. Saluberrima profluvia sanguinis in morbis acutis sponte naturae suborta sanguinis detrahendi necessitatem priscis indicarunt. Pheraeus Jason deploratus medicis vomicae morbo quum mortem in acie quaereret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste. Ac res ejus modi paene innumerabiles sunt quae veteribus ad naturae praecepta se adtemperantibus vias curandi tradidisse videantur. Ex memoria[4]) autem earum rerum medicina sensim effecta putatur, ut recte Aristoteles sensit.

Quae etsi ad cursus rerum et naturae fidem accommodatissima sint, multum tamen disceptatur inter doctos unde primus ortus medicinae repetendus sit.

---

1) Prosp. Alpini de Medic. Aegypt. p. 2. Lugd. Bat. 1745.

2) Plin. 8. 27. Cf. Pisid. Cosmurg. v. 1103 et Philen. c. 15. Alia exempla adfert Alban. Torinus in epist. nuncup. ad opusc. Polybi Bas. 1544.

3) Virgil. Bucol. Ecl. 6. v. 48. Plin. l. 25. c. 21. Dioscor. lib. 4. c. 151. Kaempferi Amoenit. exot. fasc. VII. not. 23. Lemgov. 1712. 4. Cf. Apollod. Bibl. De Jason. vide Plin. lib. 7. c. 51. Cic. de nat. deor. lib. 3. Valer. Max. 1, 8.

4) Arist. Metaph. lib. I. p. 2. Ed. Sylb. Frfti. 1585. 4. Quinctil. lib. 3. Instit. orat. initio. Tiraquelli de nobilitate p. 190. n. 39. Theod. Janson. ab Almeloveen Invent. nov-antiq. X. p. 108. Cf. Hipp. de veteri medicina p. 13. Ed. Foëf. 1621.

Multi sunt et fuerunt qui Adamum[1]) generis humani parentem instinctu inflatuque divino ut singulas artes, ita medicinam reperisse dicerent. Qua opinione nihil absurdius. Moris autem hominum est, ut omnibus omnino hominibus priscis sapientiam a nostra plane diversam professis et illis in quibus ingenii elucebat excellentia maxima quaeque tribuant. Itaque non nulli inveniuntur qui ex Hebraeis[2]) Mosi et Salomoni multa ad artem salutarem pertinentia adfingant. Quorum doctrinam nescio an magnam nec eo pertinuisse nec quicquam aliud nisi notam perlevem rei medicae fortuito impressam sibi habere facile crediderim. Dicere enim, quum Mose vitulum aureum crematum se ipse tradat idoneum reddidisse ad bibendum, eum peritum fuisse chemiae, ridiculum est atque absurdum. Illorumque disputatorum qui omnem sapientiam ex veteribus scriptis eruant animus tanto vagatur errore, ut etiam res a populorum orientis doctrina prorsus abhorrentes, sanguinis quidem circuitum[3]) Salomoni iam innotuisse sibi et aliis persuadere

---

1) Marsil. Ficin. Orat. de laud. med., quae libro quarto epist. ejus T. I. op. p. 735. inserta legitur. Cf. Ott. Heurnii Antiquit. philosoph. barbar. lib. I. p. 7. Lugd. Bat. 1600. 12. Suidam in Adam.

2) Clem. Alexandr. strom. lib. I. p. 343. Ed. Sylb. Justin. Martyr. ad orthodoxos. Orig. adv. Celsum lib. I. Dickinson Phys. vet. c. 20. Pfeifferi Dub. vex. Cent. II. lib. 2. p. 248. Olai Borrichii de orig. et progr. artis chem. p. 47. D. Sennerti de chymicorum cum Aristotelicis consensu p. 46. Wolfg. Wedelii Exerc. medico - philolog. Dec. IX. exerc. I. Ernesti Stahlii Experim. p. 606. Jac. Scheuchzeri Phys. S. tom. I. p. 248. Cf. Conring. de Hermet. medic. lib. I. c. 3. Bayle Dict. tom. I. art. Aaron. B. Gundling Hist. phil. mor. c. 7. p. 63.

3) Joannis Pineda De rebus Salomonis lib. VIII. Mogunt. 1613. f. Theophilus Gale Phil. gen. §. 8. p. 23, qui ex Salomonea sapientia ait Hippocratem medicinam accepisse, Platonem philosophiam, Aristotelem historiam animalium. Nicol. Fullerus Miscell. S. lib. IV. c. 10. p. 605. Witsius Miscell. S. tom. II. ex. XIII. §. 21. ex. 14. §. 42 Corn. Bentckoe de vita humana P. II. §. 10.

velint. Idemque de Ezechia[1]) dicendum esse quis non videt? Nec vero ex Chaldaeorum fragmentis ulla utilitas solida duci potest. Sacerdotes enim[2]) apud eos iidemque philosophi iisdem fere in rebus in quibus Magi apud Persas occupati nihil nisi inania et portentosa consectabantur, quemadmodum hodie videmus quoddam genus[3]) medicorum in rebus reconditis versari qui ad morem circulatorum artem suam plebi venditantes morborum vim divino quasi flatu medicinae infringere posse sibi videntur. Sed Chaldaei[4]) quum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur et trajectiones motusque stellarum observarent, eam scientiam effecisse putantur, ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Ex his autem princeps[5]) Zoroaster, philosophiae chaldaicae conditor,

---

Paschius de inventis nov-antiq. c. VI. §. 3. p. 311. Cf. Jo. Buxtorfium ad libr. Cosri. P. 1. p. 32. Wolfii Bibl. Hebr. tom. I. p. 1050. qui Salomonem de physicis dicunt scripsisse. Sunt alii quoque qui ei anatomiam tribuunt, ut Wittsius l. c. tom. II. exerc. 6. p. 164. Sal. Hottingerus in Biographia physico-sacra s. Dissert. de vita, hujus natura, essentia, intervallis s. aetatibus, cumprimis de incommodis senii. Tig. 1706. Wedelii Diss. medico-philol. dec. III. exerc. III. de morbis senum Salomonis. Otto Philipp. Praunius Poliater Campidonensis Diss., qua physico-anatomica analysis cap. XII. Ecclesiastis sistitur, vivaque senii mortisque imago delineatur, et inventis novis anatomicis illustratur. Cf. Jac. Scheuchzeri Physica S. tom. II. p. 1016.

1) Rabi Moyse lib. 3. Perplexorum c. 38. Cf. Suid. in Ἐζεκίας.

2) Diodor. Sicul. lib. 2. p. 81. Sext. Empir. lib. 5. s. 2. p. 338. Ed. Fabricii, Gellii lib. 14. c. I.

3) Vide scripta Hahnemanni.

4) Cic. de divinat. lib. I. c. I.

5) Plin. hist. nat. l. 30. c. 1. et lib. 37. c. 10. Idem. lib. 7. c. 10, auctor est Zoroastrem eodem quo natus esset die risisse. Justin. 1, 1. 9. Francisci Patricii Zoroaster et ejus 320 Oracula Chaldaica etc. Hamb. 1593. 8. Heur. Ursini dissert. de Zoroastre, Hermete Trismeg. etc. Norimb. 1661. 8. Pocockii Specim. Hist. arab. p. 147. Thomasii Stanleii Hist. philos. orient. et graec. P. XIII. p. 1113. P. XIV. p. 1160. Lambecii Prodromus hist. literar. p. 79. Fabricii biblioth. gr. lib. I. c. 36. et lib. 8. c. 9.

quem quum Magorum nominis sensum mutasset[1]) ad Satanae, omnium scelerum flagitiorumque auctoris quasi satellites et ministros relegavit superstitio rerum vanarum et omni superstitione plenarum multitudinem literis prodidisse dicitur. Eundem dicunt scripsisse de officio medici, de viribus herbarum, de lapidibus et quattuor de natura, quae omnia chaldaice scripta se possidere gloriatus est Franciscus[2]). Picus. Nec solum magia condita est a Zoroastre, sed etiam astrologia. Insuper tamen de eo tradita sunt tam incerta et inter se pugnantia, ut omnem iis fidem derogare debeamus. Tum apud Assyrios in maxima fama doctrinae fuerunt Belus et ejus sacerdos[3]) Berosus Babylonius, quorum ille quum coloniam ex Aegypto Babylonem deduxisset sacerdotes more Aegyptiorum instituit cum iisque sidera et alia quae his sunt similia diligenter observavit. Berosus[4]) vero astrologus celeberrimus et rerum scriptor antiquissimarum disciplinas chaldaicas primus tradidit Graecis et apud eos tanto in honore fuit ut ei Athenienses[5]) in gymnasio statuam posuerint lingua inaurata. Verum tamen disciplina chaldaica ita constituta fuit ut longissime abesset a medicinae studiis.

Ad Persas deinde cum imperio doctrina omnis chaldaica deportata est. Iam nobis Persarum disciplinas et vitae communis instituta considerantibus in men-

---

Ed. secunda. Oracula quaedam Zoroastris Michaelis Psellus primus edidit gr. lat. Paris. 1589. 8. Cf. Suid. in Zoroastr.

1) Nov. Test. Math. II. v. 1, 2.

2) Vide epistolam ad Ficinum datam quae legitur in operibus Joannis Pici, p. 249. Idem iam fecerat Prodici secta, ut testatur Clemens Alex. Strom. lib. I. p. 304. Cf. Patricii librum supra adlatum p. 7. ubi summa illius epistolae excerpta legitur.

3) Diod. Sic. lib. I. p. 24. Plin. lib. 6. c. 26. et lib. 30, c. I.

4) Jos. Scaligeri Observ. ad Euseb. p. 248. Cf. ejusdem libr. de emendatione temporum. Lugd. Bat. 1598 f.

5) Plin. 7. 37. Senec. Nat. Quaest. 3, 29. Vitruv. lib. 9. c. 7.

tem venit Osthanes Zardushti[1]) seu Zoroastris praeceptor omnium nobilissimus, quem ex Aegypto in Persiam decessisse credibile est. Ab eo autem apud Persas astronomia culta est et liber de chemia[2]) compositus. Et alia Osthani adfinguntur quae commemorare non est necesse. Verum prodita de eo si vera essent non mediocriter versatus singulis in artibus haberetur. Supersunt alii apud Persas omnium sermone celebratissimi, quos tamen praetereundos censemus, quum omnes Persae ut ipse Galenus dicit potentiae divinae nimium aut omnia tribuerent. Et magia[3]) a Chamo Chaldaeo profecta, recens a Zoroastre medicinam quidem[4]) complexa dumtaxat in fascinis incantamentisque et aliis praestigiis cernitur, ita ut ad illorum doctrinam pastorum carnificumque ineptiae ac fallaciae proxime accedant. Itaque pergamus ad sapientiam Indorum. Brachmani[5]) autem sive Brahminae ut hodie vocantur omnibus longe praestiterunt, quos eo putarunt sacerdotio praeditos ut deum iratum precationibus piaculisque possent placare. Hi igitur quum in rebus divinis et sacris semper versarentur, in rebus ambiguis et aliis quae ad Birmnam referri solebant quid faciendum esset ab ipsis regibus saepius consulebantur vel ut deo satis facerent magnopere rogabantur. Caeterum constat inter omnes, ob id quod[6]) carnibus prorsus

1) Plin. 30, 1. Tertull. de anima c. 57. Quae Apulejus in I. Apologia adfert exigui sunt momenti.

2) Thomas Hyde in praef. ad libr. de religione veterum Persararum. Reinesius lib. II. var. lect. p. 155. Cf. Bocharti geograph. sacr. p. 235.

3) Wierus de praestigiis daemonum etc. 2, 3.

4) Plin. 30, 1, 3. Rupert. ad Flor. 1, 3. p. 108. Tacit. Ann. 6, 21.

5) Porphyr. de abstinentia lib. 4. §. 17.

6) Palladius de gentibus Indiae et Brachmanibus. Ambrosius de moribus Brachmanorum. Anon. de Bragmanibus junctim edidit Ed. Brissaeus. Lond. 1665. 8. Cf. Halleri Bibl. botan. tom. I. p. 5. Blumenbachii Introd. in hist. med. p. 12. Cf. etiam Spe-

abstinerent eos de solis plantis vivere solitos indeque in earum cognitione haud mediocriter versatos.

Idem vero de gymnosophistis dicere licet. In his Buddas[1]) sectae inter Hylobios conditor maximis ingenii et doctrinae laudibus celebratur, qui quis fuerit nec liquet nec certi quicquam potest statui de ejus ratione peculiari philosophandi. In qua secta maxime excelluit Dandamis[2]) quem Mandanin adpellat Strabo, qui cum discipulis suis in eo multum elaboravit ut temperantiam cum animi fortitudine conjungere discerent, vitae quoque mirabili munditie adjuncta, quod iis tamquam fundamenta sapientiae contineri putarent. Ad eorum numerum se aggregavit Sphines,[3]) graece Calanus, qui animi et fortitudine et magnitudine insignis more se gentis accedente morbo quem ferre turpe existimabat vivum comburi voluit. Hic quum adscenderet in rogum ardentem: *O praeclarum,*[4]) inquit, *discessum e vita, quum ut Herculi contigit mortali corpore cremato in lucem animus excesserit!* Atque in his studia Indorum versantur.

Nunc vero quid disseram de Arabibus ingenii elegantia clarioribus quam doctrina illustrioribus, a quibus Pythagoram[5]) artem divinandi ex volatu et garritu avium accepisse tradunt? Neque tamen quantulumcum-

---

cimen sapientiae Indor. vet. gr. et lat. edid. Godofr. Starckius. Berol. 1697. 8.

1) Hieronymus contra Jovinian f. 22. 6. Cf. Tollii Insign. itin. Ital. p. 137. Maturini Veiss. la Croze Histor. Christianismi Indor. p. 645 et Clem. Alex. lib. I. strom. p. 305. ubi eum ait ut deum honorari ab Indis.

2) Brucker Hist. crit. phil. p. 203.

3) Aelian. Var hist. lib. 2. c. 41. ubi inquit, ejus in honorem postea ab Alexandro M. certamina musica, equestria et pugilatus instuta esse. Et lib. 5. c. 6. Arrian. de R. G. Alexandri.

4) Cic. de divin. 1. 23. Cf. Valer. Max. lib. I. c. extr. et Suidam.

5) Porphyr. in vita Pythag. s. 2. p. 14. Ed. Kusteri. Philostratus in vita Apoll. lib. I. c. 14. Scheffer de philosophia Italica. c. 5. p. 30.

que in me situm est ab his rudimenta medicinae petere liceat, quamquam ex eorum sabianismo seu Zabiorum historia[1]) Mose Maimonides clarissimus Judaeorum medicus sua deprompserit. At non desunt qui in Sinensibus quidem[2]) doctrinam aliquam medicam fuisse existiment, quum rex eorum Haangti libros non nullos de re medica confecisse feratur. Ac Sinenses ut memoriae proditum est spiritus quosdam quibus calor corpori innatus et vita sustentaretur viginti quatuor horis quinquagies per vasa circumire ad quinquaginta signa coelestia in animum inducebant. Pulsuum[3]) quoque quibus arteriae micant scientiam subtilissimam tenuerunt, quorum singulis generibus singula medicamenta adhibenda putabant paucis eorum contenti; in primis tamen flatuum rationem habuerunt. In morbis externis[4]) acupunctura quae vocatur, cauteriis aliisque rebus uti solebant. Sinenses igitur cum Aegyptiis acupuncturam primi adhibuerunt, quamquam a rationali ejus notitia et usu alienissimi.

Phoenicibus[5]) autem quum ultro citroque plurimarum rerum essent commercia nec potuit occasio deesse animum ad studia humanitatis literarum conformandi optimisque doctrinis excolendi. Hinc in Phoenice non

---

1) Moreh Nebhochim P. III. c. 29. Cf. Hottingeri Smegma oriental. p. 39. Julii Bartoloccii tom. IV. p. 105. Wolfii Bibl. hebr. tom. 1. p. 863.

2) Andr. Cleyeri Specimen medicinae Sinicae Frfti. 1682. 4. Jo. Bapt. du Halde Description de la Chine. Vol. III. p. 461. seq. Cf. Eberhard's Geschichte der Philosophie §. 31. De Pauw Recherches philophiques sur les Egyptiens et les Chinois. Berl. 1773. II. Vol. 8.

3) Gruner. Semiot. gen. p. 657. ubi Sinensium multitudinem pulsuum adfert.

4) Wilh. ten Rhyne Dissert. de arthritide c. mantissa schematica de acupunctura etc. Lond. 1683. 8. Kaempferi Amoen. exot. Lemgov. 1712. 4. p. 582.

5) Heumanni Acta philosoph. Vol. II. p. 188. Dav. Baieri Dissert. de Phoenicibus eorumque studiis et inventis. Jenae 1709.

modo artes et studia optima quaeque literarum juxta mercaturam latissime patentem maxime quondam floruerunt, sed etiam multae disciplinae inventae sunt aut subtilius excultae. Ex ea autem gente[1]) Mochus Sidone oriundus artium quarundam inventarum gloria excellens atomorum principia ex quibus omnia nascerentur primus reperisse fertur. Quam rationem ab eo inchoatam deinde Leucippus et Democritus absolverunt. Hinc omnes Graeci studiis literarum maxime delectati in eam regionem tunc confluxerunt. Ipse quoque Pythagoras quum Mochi mysteriis initiatus esset in ejus disciplinas omnem curam cogitationemque contulit, ut in monadum inventionem incideret. Itaque non possum cum Cudwortho consentire, qui Pythagoram putat monadus suas a Mocho accepisse. Praeterea credunt quidam, Mochi doctrinam tantum apud alias gentes valuisse, ut in Graecia quidem Empedocles Agrigentinus, Anaxagoras Clazomenius et alii pro suo quisque ingenio accepta ab illo adsidua cogitatione persequuti alias rationes doctrinae invenirent. Tum non est praetereundus[2]) Sanchuniathon philosophus et rerum veterum scriptor, qui historiam Phoenicum quae jam pridem intercidit singulari studio veritatis confecisse nec non herbarum vires cognovisse fertur. Hic etsi pleraque omnia ex commentariis Thootii excerpta prodiderit, dubium tamen non est quin ejus ratio de rerum gene-

---

1) Sext. Empir. adv. phys. lib. I. p. 621. Ed. Fabr. Jamblich. in Vit. Pythag. c. 3. p. 33. Ed Arcerii Theodoreti. Frisiae 1598. Cf. Athenaei lib. 3. c. 36. Vossii hist. gr. lib. 3. p. 390 et Cudworthi Syst. intellect. §. 6. p. 9. qui hac de re doctissime disserit.

2) Euseb. de praep. evang. lib. I. c. 9. Theoderet. de cur. Graec. adfect. serm. II. Bocharti geogr. S. P. II. lib. 2. c. 17. p. 855. seq. Ursin. de Zoroastr. Herm. Trism., Sanchun. exerc. III. Richard Cumberland Review of the Cosmogenia of Sanchuniathon. Daniel Huetii Demonstr. Ev. Pr. IV. p. 50. seq. 70. seq. Conring. de med. hermet. c. I. p. 5.

ratione portentis referta animos eruditorum vehementius impulerit ad agendum aliquid cogitandumque. Qua de caussa ejus operum jactura hodie graviter ferenda est.

Quum vero in meridiem ex oriente studia sapientiae migrassent, gens Aegyptiorum insolens quidem ac vana,[1]) naturae fertilitate omniumque rerum caeterarum copia circumfluens in artibus et singulis partibus philosophiae tamquam ex incunabilis acceptis multum versabatur. Ac licet Aegyptii animum vanis ineptisque opinionibus impeditum ab anili superstitione commentitiorumque numinum cultu avocare non potuissent, gloriam tamen literarum tantam nominisque celebritatem adepti sunt, ut Orpheus omnium ore tritissimus, Thales, Pythagoras, Democritus aliique Graeci et ingenii et doctrinae praesidiis paratissimi eos discendi caussa adirent. Omnium autem artium aegyptiacarum, etiam medicinae auctorem fuisse et inventorem Thoyth quem graece dicunt Hermetem, plerique omnes confabulantur. Qui apud Osiridem ut tradit Diodorus in tanto honore fuit, ut ab eo saepius consuleretur, quod perspicacissimus esset in excogitandis humanae vitae commodis. Idemque auctor plura alia scribit de Thoyth[2]) quae adjicere non est instituti nostri. Illud tantum adjiciendum puto, ab eodem permulta scripta fuisse,

---

1) Isocrat. in Busirid. p. 530. Ed. Hieron. Wolfii. Bas. 1591. Theocr. Idyll. 17. v. 79. et seq. Ammian. 22. 40. ubi et religionem eorum describit. Cf. Juvenal. Sat. 15. Plin. Paneg. c. 21. Lucan. 5, 58. Hirtii B. Alex. c. 24. Curt. 4, I, 30. Vopisc. in Saturn. c. 8. ubi dicit de studiis quibus maxime delectati Aegyptii fuere. Macrob. Somn. Scip. 1, 19. Herodian. 4, 9. Gruteri Thesaur. Crit. p. 319. Cael. Rhodig. 9, 3.

2) Jamblich. de myst. Aegypt. sect, VIII. c. I. Cf. Ursin. l. c. exerc. II. S. 2. p. 80. seq. Conring. l. c. c. 7. Schulz. hist. med. Per. 1. s. I. c. I. Cleric. L'histoire de la medicine Liv. I. chap. 5. Dan. Vink. l. c. sect. I. c. I. Sprengel's pragm. Gesch. d. Arzneik. t. I. s. I. p. 39. Ackerm. Instit. hist. med. c. 2. §. 11.

in quibus versatissimus Manetho[1]) et omni sapientiae genere excultus ille quidem nonnulla ad artem salutarem pertinentia invenerit eaque omnia monumentis prodiderit. Quae etsi integra non exstant, solis tamen minutiis portentisque nos carere mihi facile persuadeo. Osiridi quoque quem alii pro Jove supero habent, alii pro ejus filio, et medicinae et chemiae inventionem tribuunt. Ejus nomen fictum[2]) graeca interpretatione, ut qui suis radiis, veluti pluribus oculis terram ac mare lustraret, multos oculos habentem πολυόφθαλμον dixere. Idem quod agriculturam[3]) Aegyptios docuisset pro deo cultus videtur. Et Osiridis uxorem Isidem[4]) rerum medicarum inventricem praedicant, a qua natus Horus, graece Paeon medicinam acceptam coluisse traditur. Nec desunt qui adfirment,[5]) ab Api ante quam Jo in Aegyptum venisset, medicinam esse inventam. Utut vero res se habeat, certum est ab Aegyptiis ad semideos suos medicinae initia relata fuisse, licet Aesculapius apud eosdem maxima in laude fuerit. His igitur omnibus diligenter perpensis quis primus fuerit artis salutaris repertor deus aliquis viderit. Neque vero ignoramus qui rerum gerendarum curam habebant eorum animum ab omni medicinae studio non abhorruisse, etsi omnis ista doctrina tot tantisque portentis et ineptiis referta sit ut

---

1) Aelian. hist. anim. lib. 10. c. 16. Cf. Fabric. bibl. gr. lib. 3. c. 20. Borrich. de ortu et progr. chem. p. 65.

2) Diod. Sic. I. 2. Heurn. Philos. Barb. p. 41 — 57. Macrob. Saturn. 1. 21. p. 326. Ed. Meursii. Cf. de ejus laude med. Cicer. de divin. lib. 2. c. 59. Plutarch. in Is. et Osir. et Dempster. in Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. lib. 2. c. 21.

3) Tibull. 1. 8.

4) Tibull. lib. I. Eleg. III. v. 27. Vink. l. c. c. I. §. 6. Reines. Syntagma Inscript. Class. I. n. CXXXII. Cf. Fabretti Inscript. Rom. c. IV. et Richard. Meadii Diss. de nummis quibusdem a Smyrnaeis in medic. honorem percussis. 1725.

5) Clem. Alex. lib. I. strom. p. 307.

certi quicquam statui non possit. Cujus quidem rei testimonio sunt opera sacra in quibus saepe fit mentio medicorum, in primis eorum qui Jacobi patriarchae corpus jussu Josephi proregis aromatibus condierunt. Sed omnium adsensu comprobatum est,[1]) Aegyptios cadaveribus secandis operam dedisse, ita tamen ut cadavera condiendi peritiores evaderent, non studio artem salutarem augendi vel illustrandi permoti.[2]) Instituto autem et lege sancitum erat ut singulis morbis singuli medici adsignarentur, ut qui non ex artis rationisque regulis, sed ex lege scripta medicinam facerent et ubi a lege decessissent poenam peccati luerent. Hinc alii ut ex Herodoti scriptis videmus oculorum fuerunt medici, alii capitis, alii dentium, alii alvi vicinarumque partium, alii occultorum morborum. At ars ipsa et sacerdotibus et scribis sacris concessa fuit, ut apud Laërtium licet videre narrantem, Platonem[3]) in Aegypto aegrotantem a sacerdotibus sanitati restitutum fuisse. Caeterum curabant morbos jejunio vel vomitu, idque aut quotidie aut ternis diebus aut quaternis interjectis, quod omnes morbos existimarent ex ciborum abundantia aut corruptione creari. Eam ergo optimam rationem curandi esse quae morborum principia auferret. Praeter haec utebantur quoque herbis, clysmatibus, balneis et unguentis, sanguinis detractione interdum adjuncta. Haec narrata si nullam vel exiguam habebunt fidem, dubium non est viros omni virtutis laude illustres arti medendi operam dedisse, qui alioquin ne notitiam quidem veram ejus adsequuti essent. Nam moris veterum est ut in quibus se putant excellentes quasdam et singula-

---

1) Gruner. de Aegypt. veter. Anatome in Anal. ad. antiq. med. etc. Uratislav. 1774. Cf. Borrich. Hermet. Aegypt. et Chem. sapient. ab H. Conringii animadversionibus vindicat. etc. Hafniae 1674. 4.

2) Diod. Sic. lib. I. c. 28. Herod. lib. 2. et 3.

3) Laërt. lib. 3. s. 6.

res virtutes perspicere eos suspiciant omnibusque efferant laudibus.

Supersunt et aliae gentes animi hebetudine moribusque inurbanis notiores quam eruditionis laude clariores, de quibus tamen taceamus. Neque etiam de [1]) Anacharsi, Toxaride, [2]) Zamolxide ex Scythis dicendum existimamus, de quibus incerta et incredibilia tradita sunt. Quam ob caussam transituri sumus in Graeciam. Quam obscura autem et quot quantisque mysteriis obruta rudimenta medicinae hucusque fuerint, quam densa caligine singula studia literarum mersa delituerint, quam obscurissime sub crepusculo quasi ex distanti igniculos medicinae ab oraculis multifariam petitae cernere licuerit; tam praeclare caligine ista sensim evanescente hanc quidem e tenebris in lucem emergentem veritatisque genium ac vitam ut ita dicam adspicientem, tam velociter in dies crescentem observationum etsi vulgarium, sincerarum tamen accessione, tam eximie tandem simpliciterque unius viri divino ingenio et singulari sedulitate conditam atque ex servitute quasi in libertatem vindicatam in felicissima illa terra cognoscimus ex monumentis veterum. Graecia enim ut fertilitate terrae omniumque rerum ubertate luxuriat et coeli lenitate temperata viget, ita singularum artium literarumque altrix, medicinaeque conditrix atque cultrix gloriose nominanda est. Quod etsi maximam nobis pariat Graecorum admirabilitatem, omnia tamen ex altera parte collocata si spectaveris naturae ipsius opportunitas ac liberalitas genuisse videbitur. Quum enim tam naturae et terrae amoenitatibus ac fecunditate eximia quam doctrinae studiis quae ibi longe maxime florebant ad-

1) Plutarch. sept. sapient. conv. p. 148.

2) Cf. Lucian. de Toxar. Le Clerc. l. c. lib. 2. c. 4. De Zamolx. perpauca tradit Laërt. lib. 8. s. I. n. I. et Stobaei de dom. et servis serm. 60. Ej. de sanitate serm. 99., quae lectu dignissima deprompta sunt ex Platon. Charmid. p. 244. Ed. Bas. 1556.

ducti plerique omnes qui contemplandi discendique cupiditate ardebant ex remotissimus coloniis confluerent ac patriam doctrinam secum deportassent, quum Graecis ob id ipsum cum omnibus gentibus doctrinae studiis moribusque et vitae institutione disjunctis sempiterna commercia literarum essent, quum ipsi quoque praeclaris ingeniis natura instructi essent; necesse fuit animi eorum in dies magis magisque excitarentur in diversissimarumque rerum considerationem intenti omnibus modis excolerentur ac singulis artibus certatim imbuerentur. Hoc igitur modo facile potuit fieri, ut Graecia tamquam communis locus omnium studiorum prae caeteris terris altissimum gradum culturae perfectionisque adsequeretur. Sed quum Graeci gentibus haud parva superstitione imbutis permultum uterentur, non mirum est si animi ipsorum quoque ita adficerentur ac disciplinae non nulla a sana ratione prorsus abhorrentia sibi haberent intermixta. Nam ut apud reliquas gentes antiquissimas, sic apud Graecos deinde suscepit vita omnium consuetudoque communis, ut caussas rerum quas videre ipsis non licuerit numini divino vel personis adfictis superstitio pia tribueret aut ob beneficia quae divina habuissent excellentes viros in coelum fama ac voluntas tolleret. Hinc Apollo, hinc Prometheus, hinc Aesculapius et alii paene innumerabiles.

Tantum autem abest ut quae de his rebus prodita a veteribus sunt omnia vera esse credamus, dicemus etiam, si non omnia, tamen pleraque pro fabulis habenda, quae quid significent nemo nostrum unquam eruat. At vero si quis quae fieri non posse nobis videantur fieri posse argumentis ostenderit, quibus permoveri possint ii qui nec ea levitate sunt ut incredibilia credant nec temeritate tanta ut quae fieri nequeant fieri velint; is demum vicerit, homines illos quidem divinam naturam adeptos cum deo ipso familiariter conjunctissimeque vixisse et ab eo omnia accepisse commodis ac saluti generis humani. Sed ut ad rem

redeamus, Prometheus, Japeti filius, sapientia[1]) aegyptiaca eruditus primus omnium ut plerasque artes, sic medicinam in Graeciam introduxisse credebatur. Tum Orpheus, Lini discipulus, artis medicae peritia egregia enituit, qui si fabulis fidem adhibeamus potuit tantum efficere, ut aegrotos deploratos et jam jam animam agentes sanitati restituerit. Quo quidem videtur adludere illa fabula, qua constat Orpheum quum Eurydice uxor orci faucibus abrepta esset ad inferos descendisse citharaeque pulsibus eam in vitam revocasse. Ab eodem libros quosdam qui in re medica versantur confectos esse tradunt auctores. Orpheum deinde Musaeus, ipsius discipulus et omnes celebritate nominis longe superans excipit. Is arte medendi aliisque rebus insignis inter alia morborum curandorum praecepta scripsisse memoratur ab Aristophane. Quod quidem licet argumentis satis ostendi nequeat, non tamen incredibile est illum more theologorum philosophorumque artem exercuisse. Quae qualis fuerit quivis facile videt. Eumdemque illum pariter atque Homerum edidisse multa de viribus herbarum testatur Plinius.

Ad eorum numerum se aggregat Melampus Argivus,[2]) Amythaonis et Aglaiae filius, qui ingenii sollertiam cum tanto studio literarum junxit, ut non modo vaticinandi facultate aliisque artibus quae ei sunt similes, sed etiam medendi arte permultum valeret. Hinc quoque proverbium illud[3]) enatum est, ut res perceptu difficilis dicatur Melampode et Pollete indigere. Melampodis autem aures lambendo effecerunt dracones, ut avium aliorumque animantium[4]) voces intelligeret;

1) Aeschyli Prometh. v. 454.

2) Le Clerc. l. c. P. I. lib. I. c. 9. p. 27. Schulz. hist. med. P. I. s. I. c. I. p. 88.

3) Marin. in Vita Procli c. 10. Suid. in hoc verbo. Schol. Homer. ad Odyss. ο.' V. 225. et λ.' 289. Synes. de insomn.

4) Appollod. Bibl. lib. I. Schol. Apoll. in lib. I. Argon. Schol. Pindar. in Pyth. 4. Plin. lib. 10. c. 70. Cf. Fabric. Bibl. gr. Vol. I. p. 99.

nam ab illis peritiam vaticinandi quasi inspirari adfirmant veteres. Itaque Anticlides quoque apud Homeri Scholiasten de Helena et Cassandra narrat, quum iis angues meatus sensuum lambendo expurgassent divinam scientiam illas esse consequutas. Adde quod Melampus artem salutarem tanto cum fructu factitarit,[1]) ut Proeti Argivorum regis filias, Lysippen, Iphinoën et Iphianassam furore uterino ut videtur cum moria decem jam annos correptas, etsi duas tantum, sacro mysteriorum et naturali usu hellebori ad sanitatem reduxerit, licet Sextus Empiricus Polyanthi Cyrenaei auctoritate prodat illas ab Aesculapio sanatas fuisse. Morbus earum talis fuit ut se boves crederent. Neque vero desunt qui hanc rem ad alium Melampodem referant pastorem, qui quum capras pasto melampodio purgari animadvertisset earum lacte dato Proetidas furentes sanarit. Sed omnes inter se consentiunt, illum Melampodem unum eumdemque fuisse. Quum autem Melampus inde ab illo tempore καθαρτὴς cognominatus maximis illis beneficiis Argivos sibi devinctos haberet maximamque doctrinae laudem ab iis adeptus esset, post mortem templo, sacrificiis et festo anniversario ipsius memoria[2]) celebrabatur. Postremo hoc adde, ab eo quoque libros quosdam relictos esse, veluti[3]) de divinatione ex pulsibus medicorum filiis familiari, de divinatione ex palpitationibus et de naevis corporis. Quae tamen scripta quod hodie sciamus sunt alius Melampodis, qui sub Ptolomaeo Philadelpho vixit.

Nunc venimus ad Chironem Centaurum,[4]) Saturni

1) Hippocr. in epist. ad Cratev. Ed. Foës. p. 1278. Virg. Bucol. Ecl. 6. V. 48. Dioscor. lib. 4. c. 151. Apollod. I. 9. 11. II. 6. 1. 2. Pherecyd. Fragm. p. 131. ed. Sturz. Cf. Paus. IV. 36. Schol. Theocr. 3. 43. Schol. Apoll. I. 121. Schol. Od. XV. 225. Pind. N. 9. 30. Herod. IX. 34.

2) Pausan. lib. I. in fine.

3) Isidor. lib. 8. 9. Cf. Fabric. l. c.

4) Apollod. lib. 1. c. 2. §. 4. Schol. Homeri ad Il. δ.' V. 219. Plutarch. Symp. lib. 2. p. 647. Cf. M. Severinum de efficaci

et Philyrae filium. Quem volunt quidam medicinam simpliciter reperisse et chirurgicam ex herbis primum instituisse. In musica[1]) quoque et philosophia occupatus fuisse perhibetur, et quod equis venari docuisset Centaurus adpellabatur. Chiro autem tantam doctrinae famam et existimationem possedit, ut Aristaeum a Phoebo susceptum, Aesculapium et Jasonem arte salutari, Achillem cithara Herculemque astrologia instituerit. Chironis igitur studia latissime patuerunt. Medicinae vero cognitionem tantam consequutus fuisse traditur, ut ulcera vel pessimae indolis bene et jucunde sanaret, maxime herba centaurii ab ipso ita dicta. Unde mala ejus generis quae Chironis quasi manum et artem desiderarent Chironia vocabantur. Sunt etiam qui tradunt, ab eo centaurii herbam nomen ob id invenisse, quod quum Herculis excepti hospitio pertractanti arma sagitta excidisset in pedem per eam curatus esset. Idem denique Chiro in ipsa mulimedicina versatus memoratur ab[2]) Hierocle et Vegetio, etiam ab Apulejo. Ejusque filia Hippo, mulier doctissima[3]) Aeolum ad naturae contemplationem instruxisse fertur. Ex his vero quos Chiro docuit Aristaeus τὰ μελισσουργικὰ invenit secundum Apollonii Scholiasten (lib. 2. Argon. v. 508) et primus omnium[4]) dein mel miscuit vino, quod potu suavissimum esset, ut tradit Plinius. Idem tamen dicit Homerus[5]) de Maroneo, Euanthei filio, Bacchi nepote, Thraciae rege. De Aristaei filio, Actaeone qui eodem Chirone

---

medicina lib. I. c. 2. Apulej. de virt. herbar. c. 35. Ovid. de arte amat. I, 11. et Metam. 2, 631. Auson. Idyll. 4, 20. Plin. VIII. 56. 25, 4. et XXIII, I. 25, 30.

1) Plutarch. de musica p. 1147.

2) Veterinar. medic. libri duo gr. editi Basil. 1537. p. 3. et alibi.

3) Clem. Alex. lib. I. strom. p. 306.

4) Plin. lib. 11. c. 6.

5) Hom. Odyss. 9. v. 208. Cf. Baccium de naturali vinor. hist. et de vinis Italiae. Rom. 1596. f. lib. 7. p. 335.

praeceptore usus dicitur narrant nobis[1]) Euripides et Apollodorus, eum rabie canina laborantem miserrime periisse. Majore autem eruditionis laude excelluit Achilles. Is enim non modo rei herbariae peritissimus invenit herbam, Achilleam,[2]) qua vulneribus mederetur, sed et in curandis morbis, maxime externis tam exercitatus fuit, ut atrocissima vulnera, veluti quae Telepho,[3]) Herculis filio, Mysorum regi ipse intulisset, quam optime sanaret. Telephi enim vulnera ejus generis fuerunt, ut omnia deinceps vulnera pessimae indolis Telephia nominarentur.

Omnibus autem his quos nominavimus[4]) artis divinae gloria longe praestitit Aesculapius, ab Apolline et Arsinoë ortus, de qua tamen re valde variant. Artem accepit a patre[5]) et Chirone, cujus postea inventor et deus celebratur. Alii vero putant Aesculapium ab Api acceptam artem[6]) paullo subtilius excoluisse ob

1) Eur. Bach. v. 335. Cf. Apollod., qui eum a canibus devoratum et in cervum commutatum narrat. Fulgent. Mythol. 3, 3.

2) Plin. lib. 25. c. 19. Cf. Dioscor. lib. 4. 36.

3) Nam consulto oraculo responsum tulit Telephus: ὁ τρώσας ἰάσεται. At ex Plinii sententia per rubiginem gladii sanatus videtur. Cf. de Achill. Hom. Il. λ.' v. 831. et v. 56. ubi eum tradit caussam pestilentiae Graecorum cognovisse.

4) Homer. Hymn. in Aescul. Poët. gr. vet. carm. heroic. Aurel. Allobrog. 1606 t. I. p. 440. Pind. Pyth. od. 3. Platon. symp. p. 181. ed. Bas. Cf. ejusdem Polit. lib. 8. p. 464. Aristid. orat. in Aescul. Jo. Alb. Sebiz de Aesculapio inventore medicinae. Argentor. 1669. 4. Meibom. comm. in jusjur. Hipp. c. 5. p. 35. Lil. Gyraldi hist. de diis gentium lib. VII. Gottl. Schwarz Diss. de Aescul. etc. Altorf. 1725. Just. Godofr. Guenzii et Richteri diss. de δαιδουχίαις etc. Lips. 1737. quam edidit Gruner in opusc. ad med. hist. pert. Norimb. 1797. p. 51. De scriptis quae Aesculapio supposita habemus vide Fabr. Bibl. gr. lib. I. c. VIII. 55.

5) Lactant. I, 10. Pindar. Nem. III. 3. Apollod. III. 10. 3. Ovid. Met. 630.

6) Clem. Alex. strom. lib. I. p. 307. Euseb. Praep. evang. 10. c. 2. Cf. Celsi praef. et Suidam. Quod Cyrillus quoque ad-

idque in numerum deorum receptum esse; aliis perhibentibus ab eo tantum herbas et medicamenta inventa, id quod a vero non abhorret. Quae opinionum varietas etsi magna est, id tamen veri simillimum videtur, Aesculapium quum apud Apollinem patrem ejusque sacerdotes medicinae rudimenta posuisset Chironis Centauri praeceptis usum subtiliorem artis cognitionem sibi parasse, tum in Aegyptum trajecisse atque ab Api literis medicis aegyptiacis institutum artem suam ita quasi interpolatam in Graeciam introduxisse. Sed hoc tamen quantum quaevis ariolatio valet. Aesculapium vero nescio an cognitionis augendae caussa in Aegypto peregrinatum fuisse, non modo veterum monumenta testantur, sed inde quoque colligi potest, quod quum artem medendi factitaret in Graecia pro Aegyptio vel Memphitano subinde haberetur. Eumdemque Argonauticae expeditionis famosissimae socium cum aliis principibus graecis iisque nobilissimis qui medicinam quoque profitebantur navigasse ad vellus aureum rapiendum, librum in membrana scriptum quo ars conficiendi auri contineretur, tradit nobis ex Apollonio Rhodio Clemens[1]) Alexandrinus. Aesculapius autem eximia doctrinae laude illustris gymnasticen et clinicen quam dicunt primus instituisse traditur, quarum tamen unam ut infra videbimus a Prodico, ab Hippocrate alteram demum inventam introductamque esse vix dubium est. Tota haec res de eo licet sit efficta et ex fabulis composita, ipsum tamen in medicina faciunda multum fuisse ad eximiamque artis famam pervenisse non est incredibile. De qua enim re omnes uno ore consentiunt. Aesculapius autem in tanta nominis celebritate fuit, ut pluri-

versus Julianum Caes. adfirmat. Eryximach. in Plat. symp. p. 181. ubi ait: ab Aesculapio medicinam primum repertam, itemque gymnasticen et agriculturam. Eumdemque in musica exercitatum fuisse ibidem legitur.

1) Lib. I. strom. p. 322.

mos[1]) homines vi morbi oppressos victosque ad vitam revocasse crederetur. Atque inter hos qui per ejus artem divinam ad vitam rediissent referebant Tyndareum, Helenae et Clitemnestrae filium; Capaneum et Lycurgum, ut profert Stesichorus; Eriphylen et Hippolytum, is qui Naupanctica conscripsit; Hymenaeum secundum eos qui Orpheum sunt sequuti; Glaucum Minoïs filium ex Mnesagora; Eurycleam ex Epiphanio. At ab aliis solum Hippolytum[2]) qui ob id postea *virbius* vocabatur in vitam restituisse Thesei rogatu traditur. Tum vero Aesculapius fulmine ictus a Jove occidit, quod Hippolytum ad vitam revocasset et orcum exinaniret; sed ab inferis tamen revocatum Apollo, ipsius pater, in numerum deorum[3]) adscivit, vel ut alii tradunt Jupiter in gratiam Apollinis[4]) stellis adfixit, in quibus vocatus est *ophiuchus*, quod ad instar hominis serpentem manu premeret. Hanc tamen rem alii aliter narrant. Etenim ut Cyrillus aliique auctores ajunt Aesculapius magna artis scientia praeditus quum omnia avarissime[5]) turpiterque revocaret ad lucrum omnes peragrans regiones artem suam languentibus venditare solebat fastu inflatus ac mortuos ab inferis se veluti deum posse excitare jactabat. At quum non multo post ad Epidaurios profectus maxima quaeque sibi sumeret et se eumdem deum

---

1) Plin. lib. 29. c. I. Hygin. Poëtic. Astron. lib. 2. in ophiuch. p. 65. Ed. Lugd. 1608. 8. Tzetzes chil. 10. hist. 349. v. 720. Zenob. in Paroem. Cent. I. num. 47. Apollod. de diis eorum qui revocati ad vitam ab eo ferebantur nomina collegit. Cf. Vink. l. c. c. I. §. 13.

2) Lactant. I, 17. De Hippolyto exstant Euripidis et Senecae tragoediae. Virg. Aen. lib. VII. v. 765. Cf. Pind. Pyth. 3. v. 10. ad 103. Cf. Diod. Sic. IV. 71. et 190.

3) Moreri Diction. Hist. tom. I. sous l'article d'Esculape.

4) Lactant. 1, 10. Salom. Cellarius Orig. et Antiq. Medicinae c. II. Cf. Empedoclis Sphaer. v. 44.

5) Clem. Alex. admon. ad gentes p. 18. Tertulian. apol. c. XIII. contra gentes. Cf. Platon. Polit. lib. 3. p. 399. in fin.

simularet, tum ob id fulmine percussus fertur; quamquam Pindarus et alii illum contendunt ita interfectum esse a Jove, quod medicinam lucri caussa fecisset ex eoque multis multum nocuisset. Ac ut Clemens inquit[1]) in Cynosuridis finibus jacet. Utcumque res ista se habet, dubium non est quin Aesculapius[2]) ex pulmonum inflammatione aliove morbo cui non nulla cum illa similitudo intercedit mortuus fuerit, praesertim quum morbus talis aliquid divini habere crederetur. Quem quum fulgure tactum putarent quumque omnia fulmine[3]) percussa vel exusta sacra haberent, factum est ut is inter divos referretur. Ex his autem omnibus quae sunt a nobis dicta intelligi par est, Aesculapium in arte medica exercitatum fuisse ac multa beneficia in genere humano collocasse, ob quod postea ἀρχίατρος[4]) a veteribus insigniter est vocatus, tamquam princeps et deus medicorum. Ex quo consuetudo ea obtinuit, ut is in coelum sublatus quoquo modo observaretur et coleretur ab ipsis eruditissimis sapientissimisque viris. Ac Plato quidem memorat, Socratem moribundum[5]) a Critone petiisse ut Aesculapio gallum quem voverat pro se sacrificaret; nam gallum, inquit, Aesculapio debemus, quem redde nec negliges. Etenim ex Lactantii[6]) sententia veritus est Socrates, ne apud Rhadamanthum reus voti fieret ab Aesculapio. Ideoque eum morientem non dubitasse fore, ut quum animum suum in coelum discessurum speraret ab Aesculapio animarum medico id impetraret. Putabant autem veteres gallum gallinaceum soli consecratum, quod ejus ortum diemque praenunciaret. Hinc quoque factum est ut Aesculapio

1) Clem. Alex. adm. ad gentes p. 18.

2) Gruner Bibliothek der alten Aerzte. Einleit. p. 7.

3) Artemidor. Daldian. Onirocr. lib. 2. c. 8. p. 89. Lutet. 1603. l.

4) Augustin. de civit. dei lib. 3. c. 17.

5) Plat. Phaedon. in fine.

6) Lactant. 3, 20.

gallus nigro rostro imparibusque digitis (nigra enim animalia sacra fuisse habita ait[1]) Alexander) subjunctus sedulitatem vigilantiamque significaret. Baculum nodosum, ut id adjiciam, cui anguis est circumvolutus addebant, quo scientiae medicae difficultas et artis dignitas designaretur; draconem ob pervigilem acerrimamque oculorum aciem, quod nomen ipsum[2]) ἀπὸ τοῦ δέρκειν indicat. Per eum igitur videntur significasse, oportere medici oculorum lumine multum valerent animique ea parte qua possent praeterita satis dijudicare, praesentia dignoscere futuraque praesagire. Angues vero in primis insignia medicorum fuerant, quod princeps medicorum ille quidem herba ab angue adlata usus vitam quibusdam restituisse diceretur. Quum denique nemo nisi magno studio longique temporis usu artem ediscere posse crederetur, id ut indicaretur promissam addebant barbam; etsi Phliasii[3]) imberbem Aesculapium coluere, quod videantur putasse alienum, filio cujus pater Apollo imberbis esset barbam addere. Insuper haud raro ei adjunctus est[4]) puer cum cuculla succinctusque amictu, qui quid significaret reperire nemo potuit. Sed credibile est per eum significari colorem juventutis habitumque qui medico servandus sit. Multa alia nobis sunt in promptu quae possumus commemorare, sed omnia ut brevissime complectamur instituti operis ratio postulat.

---

1) Genial. dier. l. III. c. XII. Cf. Arist. Hist. anim. lib. 9. c. 7. Plin. 10. 56. Rhases libr. ultim. Conting. tract. 2. 172. Mesue de simpl. c. IX. Aët. Tetrab. I. serm. II. c. 89. Cf. Censorin. de die natali c. de annis Rom. Cael. Rhodig. Antiq. Lect. lib. 16. c. 12. Aelian. hist. var. lib. 5. c. 17.

2) Marcrob. Saturn. lib. I. c. 20. ubi de ea re copiose disserit. Idem habet Festus s. 5. Cf. Laurentium de var. sacr. Gentil. tom. VII. Thes. Gronovii p. 169.

3) Paus. in Corinth. c. 13. p. 145. Cf. Gisberti Cuperi Harpocrat. p. 79. Cicer. de nat. deor. l. 3. c. 34.

4) Paus. l. c. c. XI. p. 140. Cf. Lochner. in Ephem. Acad. Nat. cur. cent. X. Piereri bibl. iatr. de statu med. p. XI.

His autem donariis ornatum Aesculapium licuit videre in templis ac delubris in ipsius memoriam exstructis. Nam cultus divinus ac pietas magna ei plurima consecravit templa, quorum primum nobilissimumque erat Epidaurium,[1]) ad Epidaurum Peloponnesi oppidum donis ditissimum quae aegroti opis petitae mercedem deo sacrassent. Epidauriam vero terram fere a primo ortu omnino sacram[2]) fuisse, constat inter omnes. Quod quum cujusque intersit scire qui in his rebus obscuris illustrandis versari conetur; non alienum fore putamus, pauca de hujus rei caussa adferre. Ac secundum Pausaniam sentiebant Epidaurii, Phlegyam, Martis filium, regem Lapitharum, Ixionis et Coronidis patrem venisse in Peloponnesum qui incolarum multitudinem eorumdemque disciplinam militarem ob certam quamdam caussam exploraret. Qui quum in Peloponnesum venisset cum filia quae patre inscio uterum gereret ex Apolline, haec ut clam patre in terra Epidauria repente enixa est infantem puerum exposuit in monte qui Myrtion vocabatur. Pindarus tamen eum vivum ex matre interfecta exemptum fuisse perhibet. Hic infans enutritus est a capra, custoditus a cane. Quum vero Aresthanas caprarius capram cum cane abesse a grege animadvertisset et eam quaesitum aliquando abisset, eum reperit infantem, a quo quando propius adcessisset coelestem flammam vidit emicantem. Quod ratus divinum esse se recepit. Infans autem fuit futurus Aesculapius. Quae res etsi ab aliis aliter narratur, id tamen effecit ut inde ab eo tempore patria Asclepiadarum sacra crederetur. Adde quod in eadem terra genus quoddam man-

1) Paus. l. c. c. 26 — 27. Liv. l. XI. c. 14. t. 3. p. 198. Ed. Drakenb. Cf. Tamassini libr. singular. de donariis et tabellis votivis in Graevii thes. antiq. Rom. tom. XII. p. 746. Et. Strabon. libr. 8. p. 374. Ed. Paris. 1620. fol.

2) Paus. l. c. c. 26. Heyne ad Appollod. p. 276. Cf. Pind. Pyth. III. 14. Apollod. III. 10. 3. Paus. VIII. 25. III. 26.

suetum[1]) anguium fuerit, quae a capite crasso ὄφεις παρείας adpellatae religiosissime colebantur; quod aegrotis opem ferre putarentur. Templa autem quae bis mille circiter passus ab oppido abfuerunt cum gymnasiis, porticubus, balneis sacerdotumque aedificiis latissime patuisse videntur. Quibus in templis aegroti in[2]) pellibus substratis jacere solebant, ut ab oraculo dei medicinam peterent. Sed patrum religione ac caeremoniis sancitum[3]) fuerat, ut aegroti ante quam ad deos tutelares templorum confugerent sacra rite facerent, quo magis propitios placatioresque deos sibi aut servarent aut redderent. Tum vero quum dies aliquot cibo potuque abstinuissent et aqua in primis marina se lavassent, in pellibus subjectis ovium et arietum quos antea diis immolassent obdormiscere solebant. In templis igitur[4]) incubantibus per quietem medicinam significabat deus ipse in figura serpentis adparens, aut sacerdotes qui sacris praefuerunt medicinam ex deo cognitam praebebant; qua rite adhibita qui convaluissent, eam cum morbi nomine solebant in tabulis notare, tum gratias publice agere et vota solvere, etiam dona dare. Quae quum per sacerdotum vafritiam ita comparata essent, ut quae ibi per somnum visa ab aegrotis essent ad invictae veritatis persuasionem facile rigescerent; omnes vi morbi prostrati eo confugiebant exspectaturi opem a dei oraculo, atque religio eorum effecit ut ad sanitatem plerumque redirent. Ita quoque factum est ut quum

1) Paus. ibid. c. 28. Aelian. hist. anim. lib. VIII. c. 12. Cf. Schneideri amphibiorum phisiologiae specimen I. p. 79. Dénon Voyage dans la basse et la haute Egypte p. 88.

2) Virg. Aen. lib. 3. v. 85. ad 92.

3) Plutarchi Quaest. Rom. p. 283.

4) Cic. de divin. lib. 2. c. 59. Curtii lib. 3. c. 7. §. 3. Plaut. Curc. 1, 1. 62. Gruteri Inscript. p. 70. Cf. Conring. de incubatione in fanis Deorum medicinae causa olim facta. Helmst. 1559. Vink. Amoen. phil. med. c. 5. Plin. lib. 20. c. 100. Galen. περὶ συνθ. φαρμακῶν κατὰ γένη non multo post. principium lib. 5. tradit eumdem Aegyptiorum morem fuisse etc.

civitas romana pestilentia laboraret missis legatis qui Aesclulapii signum[1]) Romam ab Epidauro transferrent anguem qui se in navem ipsorum contulisset in quo ipsum numen esse constabat deportarent, eoque in insulam Tiberis egresso ibidem aedes Aesculapii excitaretur. Sed redeamus unde degressi fuimus. Templum aliud fuit Coum in insula Co, Hippocratis patria, clarissimum donisque refertum. Tum maxime celebratur Argivum, quod Argis Sphyrus, Machaonis filius dicavit; et aliud Sphyri frater, Alexanor in Sicyoniam profectus in Titane monte condidit. Nobile quoque ac dives exstructum fuit in Sicilia Dionysii tyranni direptionibus celebratius. Eamdemque deinde religionem Archias, Aristhaechmi filius postquam convulsione membrorum liberatus esset in Pergamum, Asiae oppidum, transtulit. At Aegaeense funditus eversum est temporibus Constantini M., quod Cassiodorus quidem refert in hist. tripart. et hist. misc. Nec denique praetereundum est Carthaginense,[2]) quod clarissimum omniumque ditissimum fuisse ait Appianus de bello Punico. Ad haec alia quoque multa sacra fuerant deo medicorum, de quibus videas Strabonem et alios auctores. Verum sic quidem facta est medicina Aesculapii.

Aesculapio ex[3]) Lampetia ut in trimetrorum iambo primo tradit Hermippus, vel ex Epione ut dicit Aristides de Gnidi conditoribus, duo fuerunt filii, Podalirius

---

1) Valer. Max. ex Livio de miraculis lib. I. c. 8. Cf. Plutarchi Quast. R- p. 283. Meibom. l. c. p. 43. et Hundertmark exercit. de principibus diis etc. in Ackerm. opusc. p. 31. De ludis et festis vide Cellar. l. c. c. II.

2) Anniversaria solemnitate festos dies in Aesculapii honorem celebratos fuisse refert Spanhemius in epist. ad Morellium p. 69. Cf. Schwarz. de Aescul. et Hygea, diis φιλανθρώποις. Altorfii 1725.

3) Bernardi de Montfauçon Antiquité expliquée. Part. I. t. I. Schol. ad Aristoph. Plut. act. III. scen. 2. v. 702.

et Machaon,[1]) (etiam Aratus ut videtur Pausaniae) quos ob insignem medendi peritiam ex Creta insula in Trojam quum saevirit ibi pestis vocatos esse notum est omnibus. Ab Homero et Celso uterque traditur bello Trojano ducem Agamemnonem sequutus commilitonibus suis non mediocrem opem tulisse. Sed eorum ars, videtur, in curandis vulneribus aliisque malis quae eis sunt similia maxime versabatur. Insuper ut singula leviter perstringamus memoriae proditum est, Podalirium[2]) quum ex adversis maris tempestatibus in Caria servatus a caprario ac liberaliter acceptus ad Damaethum regem pervenisset ejus filiam quae Cyrna vocabatur tecto delapsam per medicamentorum usum sanguinisque ex utroque brachio detractionem persanasse. Quod rex admiratus eum sibi generum adscivit Chersoneso ipsi tradita, in qua postea ille duas condidit urbes, alteram Cyrnum de uxoris nomine adpellatam, de pastoris alteram a quo fuisset servatus. Caeterum in eo Podalirium maxime elaborasse ut abditas caussas morborum inveniret, refert[3]) Eustathius. Postea factum quoque est ut pro heroe coleretur divinoque ritu celebraretur, si quidem Calabrum[4]) populi de morbis numen consulturi ad illum accedere soliti fuerunt. Oraculum vero illud ejus generis fuerat ut juxta Podalirii sepulcrum in agninis pellibus dormirent; per somnium enim de qua quisque re scire vellet significari solebat.

---

1) Ovid. de arte amat. 2. 735. et Trist. 5, 6. 11. Cf. Propert. 2, 1, 59. Hom. Il. 2. v. 731. et 11. v. 832. Pind. de bello Troj. Diod. Sic. lib. 5. et Celsi praef.

2) Haec sunt deprompta ex Tiraquelli libro de nobilitate p. 187. qui qua auctoritate id tradiderit dicere non possum. Certe apud Steph. de urbibus quod Fabricius quidem in bibl. gr., Boerhave in praelect. acad. (a Hallero editis t. I. p. 9) et Pierer. l. c. p. 10. volunt nihil potui reperire.

3) Ad Il. 5.

4) Tzetzes ad Lycophr. v. 1047 quo usus est Nicolaus Leonicus Thomaeus l. 3. de var. hist. c. 47.

Machaon[1]) qui natu major a quibusdam creditur idque optimo jure et a patre et a Chirone maximis scientiis medicinae instructus longe majorem artis laudem adeptus est in primisque eam partem quae manu curat magno cum fructu exercuit. Ipsamque artem[2]) animos male adfectos ponendi tenuisse putatur. Ab eo autem plurimos sanatos fuisse tradit Homerus. Menelaum[3]) enim saucium quum vulnere telum eduxisset et vulneris natura atque altitudine inspecta sanguinem expressisset per lenium medicamentorum usum curavit Machaon. Tarda quoque crura Philoctetae sanavit, ut ait Propertius. II. 1. 59. Itaque Machaon quum magna de hominibus meruisset eximiamque gloriam sibi peperisset in numero sanctorum habitus est. Ac Pausanias quidem in lib. 4. Messen. in fine profert, Glaucum Messeniorum regem omnium primum ei sacra fecisse. Addere liceat, Machaonis duos filios fuisse, Nicomachum et Gorgasum, quorum ille ut Suidas auctor est medicinae peritus scripsit de re medica libros sex et unum de philosophia. Et horum utrumque regnasse apud Pharaeatas post Dioclis patris Anticleae obitum, tradit idem Pausanias in Messen. Idemque auctor ibidem subjungit, ab illis et morbos et luxata membra curari solita, pro quibus beneficiis sacrificia iisdem et donaria obtulisse homines traduntur. Quod extremum est Machaonis alius

---

1) Quint. Calaber in Paralip. Homer. lib. 7. v. 60. ait Podalirium medicinam a Machaone edoctum esse, id quod veri simillimum est quum hic ad exemplum patris Chirone quoque magistro usus fuerit. Insuper vide Hom. Il. XI. v. 514.

2) Id quum Tiraq. ex eoque Fabricius nixi auctoritate male intellecti loci contendant e medio tollendum est. Nam apud Hippocr. p. 1296. in Thessali Hipp. filii orat. legitur: *Μαχάων γέτοι ψυχὴν κατέθετο ἐν τῇ Τρωάδε*, quod est *animam deposuit* vel *efflavit*. Sed locus ille admodum fluctuat. In Aldina vox *ψυχὴν* desideratur. Nec tamen argumentis ostendere licet, Machaonem bello Trojano obisse.

3) Il. 4. v. 216. Propert. 2, 1, 59. Cf. Hundertmark l. c. p. 83.

quoque fuit filius Polemocrates,[1]) medicus non vulgaris, cujus fanum memorat Pausanias in Corinth.

Denique Aesculapii filiae Hygea, Panacea, Jaso, Aceso, Aegle et Rome in arte salutari operam posuisse feruntur. Quarum nomina efficta esse quis non videat? Verum ut ne longi simus lectorisque animum obtundamus, eos qui ea de re diligentius quaerant mitto ad Meibomii commentarium quo tota haec res fusius ex posita est. Sed medicinam a feminis factitatam fuisse, constat inter omnes. Hinc Artemisia, Latona, Medea, Circe, Ocyroe, Oenone, Polydamna, Cybele, Hepione, Pallas, Aspasia, Maia, Agameda, Hecameda, Anguitia, hae, inquam, et aliae scientiam medicam habuisse traduntur. Neque vero ignoramus, Athenienses legibus suis aliquando cavisse, ne femina arti medendi se dederet. Quum tamen[2]) Agnodice quaedam virgo cuperet medicinam discere, demptis capillis habitu virili se Hierophilo cuidam tradidit in disciplinam. Quae quum artem didicisset et mulierem ab inferiore parte laborantem audivisset, venit ad eam; quae quod se ei credere noluisset existimans illam virum esse, ipsa ostendebat tunica sublata se feminam esse, et ita eam curabat. Tum Athenienses legem istam abrogarunt censtitueruntque ut feminae artem discerent. Atque haec sint obiter dicta.

Quum autem fabulas istas miraculaque plane efficta a veteribus pro operis nostri instituti ratione satis tractasse nobis videamur, pergamus denique ad rem ipsam in qua breviter exponenda eo lubentius versamur, quo diutius in his studiis elaboramus et quo clariorem lucem philosophiae ex illis in dies effulgere cernimus. Quum vero nulla omnino scientia sine instrumento philosophiae recte procedere possit, eoque minus medicina,

1) Paus. Corinth. 2. c. 38. Machaonis alii quoque duo filii fuerunt Sphyrus et Alexanor. Cf. Paus. ib. c. 11.

2) Hygin. fab. 274.

quippe quae in omnes omnium fere disciplinarum partes latissime patens philosophiae gravitati tamquam fundamento innixa proficiat nec ab ea umquam possit sejungi; naturae maxime consentaneum est, artem salutarem non ante potuisse pervenire ad justam necessariamque formam scientiae, quam philosophiae studia recte ac feliciter agitari coepta essent. Ac certum quidem habemus, Thaletis et Pythagorae studia singularia hoc effecisse, ut philosophia in Graeciam introducta incredibiliter coleretur, augeretur eaque per omnes orbis regiones velut diffusa omnium Graecorum animi maxime impellerentur ad universa ac singula studia literarum colenda. Hinc brevissimo temporis spatio tot tantaeque philosophorum familiae ortae sunt; hinc ionica a Thalete profecta, aucta ab Anaximandro, ab Anaximene illustrata, ab Anaxagora longius propagata, a Diogene Apolloniata nonnihil deflexa et ab Archelao defensa et haud paullo clarius exposita tantam vim habuit, ut ex ipsa tamquam ex cornu Amaltheae Socratica indeque Cyrenaica, Eristica, Peripatetica, Cynica, Stoica, quasi cuncta literarum officina, nascerentur, Neque vero minus valuit doctrina Pythagorae, quum ex ejus officina multae quoque sectae profectae sint, Eleatica quidem, Heraclitea, Epicurea, Pyrrhonica. Quarum quaeque peculiare aliquid habuerat quod sequeretur. Etsi vero propositum nobis non est, de hac re fuse disserere, tamen id profiteri debemus, quum studia singularum partium philosophiae in dies magis efflorescerent excolerenturque, medicinam non potuisse plane praetermitti. Quam ob rem plurimi eorum qui scientia rerum divinarum humanarumque delectati tenebantur in rebus medicis etsi vulgariter versari soliti sunt. His vero praeconiis in primis celebrandus est Pythagoras, Samius, philosophus maximus idemque medicus, qui ut itinera[1])

1) Isocr. in Busir. p. 530. Diod. Sic. hist. l. 1. Cic. de fin. 5, 27. Justin. 20, 4. Jamblich. Vit. Pyth. c. 3 — 4. Diog. Laërt.

ad Aegyptios, Persas et Indos ab ipso facta omittam maxime in cognoscendis versabatur[1]) medicamentis quibus sanitas integra posset conservari, labefactata aut fracta restitui. Eum animi quoque et ejus commotionum rationem habuisse, quod ab iis corporis humani fabrica atque incolumitas maxime penderet, indicare videtur Jamblichus, ubi ait, ab illo etiam factam esse medicinam. Nec desunt qui dicant annorum climactericorum ut vocantur primum a Pythagora rationem esse ductam, quod Laërtius quidem velle videtur. Sed quamvis maximam sollertiam cum studiis suis conjungeret, morborum tamen immanitate sua terrentium caussas ad deorum iram referre solebat, quae quidem consuetudo ab ipsius placitis minime abhorret. Nam Pythagoras ut satis liquet aërem putaverat[2]) plenum esse animarum quae essent daemones et heroes. Ab his proficisci somnia et signa, morbos contrariaque, et ea tam hominibus quam brutis. Qua re in eam se consuetudinem Aegyptiorum adduxit ut in morborum tormentis subinde uteretur subsidiis a sana ratione alienis, velut expiationibus, sacrificiis et aliis rebus quibus daemonum heroumque illorum ira leniri posset. Itemque musices vim maximam in animos hominum suaviter adficiendos compertam habuit, ob quod quum animi moestitia vel tristitia adflictos aut animi commotionibus percussos animadverteret eam so-

---

8. 3. Brucker l. c. p. 999. Sunt qui dicant a Pythagora nonnulla edita fuisse de virtutibus herbarum et de scilla ejusque usu, quod Plinius ait in lib. 19. c. 5. et 25. c. 5. At Galenus in comm. I. de nat. hom. (P. V. p. 11) quicquam ab eo scriptum esse negat; sed in lib. 5. de Hipp. et Plat. decret. t. I. p. 292. tradit Pythagorae scripta ad nos non pervenisse.

1) Diog. Laërt. lib. 8. c. I. n. 11. Jamblich. c. 29. Porphyr. 33. Plin. 20, 9.

2) Diog. l. c. 32. Jamblich. de myster. Aegypt. et Kuehnii Dissert. de phil. ante Hipp. medicinae cultoribus. Lips. 1781. in opusc. Ackerm. p. 339.

lebat adhibere. Denique non est infitiandum, Pythagoram scholas explicuisse de his quoque rebus quae ad artem salutarem proxime spectant et discipulis esotericis ut dicebantur multa tradidisse, ut ex decretis ipsius intelligi potest.

Post Pythagoram in hac secta Empedocles Agrigentinus [1]) philosophus idemque medicus et poëta maximis laudibus se nobilitavit. Eum in rerum naturae cognitione multam operam atque studium impendisse, satis declarant monumenta veterum. Sed in scientia ac pervestigatione rerum in vitae communem institutionem cadentium earumque difficillimarum potissimum versabatur. De auditu [2]) quoque, visu, olfactu aliisque rebus quae his sunt similes egregie quaesivit, etiam rationem quandam non contemnendam de caussis rerum ad humanam naturam spectantium quas natura occultatas et latitantes videmus exponere ausus est. Quod ut argumentis ostenderet cadavera crebro dissecuit. Ab Empedocle autem nonnulla [3]) de semine reperta et tam acriter proposita fuisse, ut eum etiam recentiores quidam sequerentur, ex scriptis abunde patet. Caeterum notissimum est secundum Empedoclem [4]) omnia duabus caussis contineri, quarum una sit deus, altera materia

---

1) Emped. furore correptus in Aetnae ardentis insiliit voragines, quam quidem rem patefecerunt ferreae ejus crepidae flammis ex Aetna rejectae. Horat. in fine art. poët.

2) Plut. de plac. philosoph. lib. 4. c. 16. Ibidem plura leguntur ab Empedocle reperta.

3) Arist. de gener. anim. I. c. 18. lib. 4. initio et lib. 2. fere in fine. Ren. Morean Venus physique P. II. c. 5. Anglus Anonym. Essay on Fecundation p. 24. Haller Elem. phys. c. h. t. 8. p. 120. t. 5. p. 8. Vide quoque Galen. de sem. lib. 2. p. 242. t. I.

4) Origin. philosoph. c. 3. Cf. Clem. Alex. adm. ad gentes p. 42. et strom. I. 5. p. 599. Porphyr. de abstinentia ab esu carn. lib. 2. c. 21. Diog. lib. 8. c. 2. n. 12. Plut. de plac. philos. I. I. c. 3. Arist. Metaph. lib. I. p. 13. ubi de Emped. disseritur. Gal. de nat. hom. t. 5. p. 8.

quae efficienti se praebet ejusque actione fingitur. Indeque omnia repetens rationem suam absolvit. At ut omnibus qui aliqua in re magni quiddam fecissent, sic Empedocli multa adfingebant. Hic enim non modo feminam[1]) septem dies exanimem in vitam dicitur revocasse, sed etiam pestilentiam apud Selenuntios[2]) Siciliae populos exortam ex propinqui fluminis foetore sedasse. Ob idque ei Selenuntii honores divinos detulerunt. Quae tamen res ut ex Plutarchi et Laërtii scriptis colligere licet sic debet intelligi, Empedoclem eo quod duos alios fluvios, saltem ductus suis ipsius sumptibus instituisset omnino prohibuisse, quo minus flumen pestilentiam inveheret aërisque salubritatem corrumperet. Postremo Empedocles scripsit[3]) libros quatuor de natura et unum de medicina versibus hexametris sexcentis, non ex ordine literarum, ut Suidas vult. Alia quoque ab eo scripta sunt, quae ad nos nihil adtinent. At magnopere dolemus, quod nihil nisi fragmenta pauca ad aetatem nostram pervenerint.

Nec minus literarum studiis ingeniique acumine excelluit Alcmaeon Crotoniata,[4]) Perithi filius, quem etsi Pythagóram senem teste Jamblicho[5]) audiverit Empedocle superiorem volunt. Hic et naturae rerum cognitione et artis salutaris peritia clarissimus cadavera

---

1) Plin. 7, 53. Laërt. 8. c. 2. n. 6. et n. 11.

2) Plut. de curios. in initio. Laërt. l. c. Cf. Kuehnii diss. l. c. qui totam hanc rem bene exposuit.

3) Laërt. l. c. n. 13. Cf. Gal. Comm. de nat. hom. init. t. 5. Apud Clementem hic illic fragmenta ejus inveniuntur.

4) Theodoret. de cur. Gr. adf. l. 1. s. 517. Animum immortalem esse docuit teste Laërtio. Vide Arist. de anima I. 2.

5) Jamblich. locuples auctor non est. At quum Aristoteles lib. I. Metaph. c. 5. idem adfirmet, dubium vix est quin Alcmaeon natu minor fuerit. Cum iisque Plutarchus consentire videtur. Ob idque prius verba fecimus de Empedocle, praesertim quum ab eo reperta ut ex literis inter se comparatis perspicitur meliora fecisse Alcmaeon videatur.

animalium primus dissecuisse[1]) a quibusdam traditur. Quae si vera essent Empedoclem aetate anteiret. Eam tamen rem quod non liceat certo definire non ita graviter ferent. Alcmaeonis autem scientia anatomica quam late patuerit dicere non possumus, quum rei ipsius testimonia desint; sed illum in[2]) oculi natura inquirenda maxime versatum fuisse, de hac re convenit inter omnes. Tum vero idem quum capras per aures spiritum[3]) ducere animadvertisset, viam quandam dissecando fertur invenisse quae ex aurium cavo in fauces pertineret, quaeque hodie nomen ab Eustachio inditum sibi habet. Supersunt non nulla Alcmaeonis ad anatomen spectantia, quae exponere nimis longum est. Verum tamen hoc adjungo, quod apud Plutarchum hist. philos. me memini legere, ab Alcmaeone caussam somni in majore vi sanguinis in vasa majora advecta positam esse, quae ubi aequabiliter diffusa esset homo rursus expergisceretur. Idem denique ut ex ionica schola Anaximenes primus de natura scripsisse traditur. Atque haec sufficiant Alcmaeonis doctrinam medicam probare.

Epicharmus Cous, Helothalis filius, infans trimestris in[4]) Siciliam deportatus vitam ibi traduxit, ob idque a plurimis Siculus habitus est. Ad philosophiam Pythagoricam se contulit cum eaque medicinae studium eum junxisse non est incredibile. Quum vero et legibus

---

1) Laërt. 8. c. 5. Cf. Chalcid. in Timaeum Plat. p. 368. Ed. Fabricii. Stobaei serm. 99. de sanitate, ubi Alcmaeon in ea sententia est, sanitatis caussam contineri aequabilitate facultatum, humidi, sicci, calidi, amari etc.; quarum una si alteram superet, morbum fieri.

2) Cf. Chalcid. l. c.

3) Aristot. hist. anim. lib. I. c. 11. p. 14. Cf. Kuehnii diss. l. c.

4) Laërt. l. 8. c. 3. Fragmenta ejus collecta insunt in sentent. comicor. Vide quoque H. Stephani poës. phil. p. 54. Clem. l. 1. strom. p. 301. Aelian. Hist. var. l. 2. c. 34. Lucian. in longaevis. Suid. in Ἐπιχ.

Pythagoreorum impeditus et Hieronis tyrannide deterritus philosophiam publice non profiteretur, ad comoediam veterem se accinxit atque ita copiam sibi fecit praecepta Pythagorica in vulgus efferendi. Neque tamen artis salutaris studia dereliquit Epicharmus; nam si Diogeni Laërtio[1]) fidem adhibemus ab eo sunt commentaria de rerum natura et arte medica dorice scripta, ipsamque medicinam exercuisse videtur teste[2]) Plinio. Ex cujus scriptis intelligitur, ab illo ipso suaderi brassicam adhibendam malis testium et genitalium, eamdemque addit cum faba tritam plus valere, et cum ruta convulsis optime respondere. Ab eodemque Epicharmo[3]) asellus piscis cui cor in ventre inesse Aristoteles adfirmat ob id vocatus est ἐκτραπελόγαστρον, quod a communi ventris consuetudine discederet. Caveas tamen ne hunc cum alio Epicharmo, Demolochi comici Syracusani patre medicinae non imperito confundas. Clemens Alexandrinus non nulla nobis adservavit fragmenta Epicharmi, ex quibus ejus ingenii excellentiam sollertiamque satis perspicere licet. At Epicharmi opera quaedam in bibliotheca Vaticana exstare testatur Labbeus p. 170., quod tamen ab aliis dubitatur. Ab eo scripta filius Metrodorus[4]) in arte salutari quoque versatus commentariis illustravit.

Xenophanes Colophonius quum in Italia Telaugae Pythagorae filii cathedram occupasset novam rationem philosophandi instituens scholam condidit Eleaticam ex Pythagorica mutuatam ac deflexam, Thaletis et Pythagorae ipsius praeceptis prorsus abjectis. Homeri quoque et Hesiodi scripta[5]) de diis exagitata ab eo et derelicta sunt.

---

1) Laërt. l. c.

2) Plin. hist. nat. l. 20. c. 34 — 36.

3) Clem. Alex. Paedag. lib. 2. c. 2. in fine.

4) Jambl. in vit. Pyth. c. 34.

5) Diog. Laërt. lib. 9. c. 2.

Itaque eruditionem[1]) sui temporis moribus maxime congruentem coluit ex eaque disciplina maximam doctrinae laudem detulit. Xenophanes autem quum perspexisset sensuum judicium fallacissimum incertumque esse et in sola mente tamquam fonte lucis veritatem omnem positam; ejus studia ad naturae quoque cognitionem maxime intenta ad eam partem doctrinae magis excolendam non potuit non multum conferre. Ipse rationem suam totam libro de natura complexus videtur versibus heroicis[2]) scripsit. Quae caeteroquin Xenophanis placita fuerint addere non lubet.

Jam ut omittamus Parmenidis philosophiam ejusque sectatores Melissum et Zenonem qui quidem inter se aliquid dissentiunt, pauca disputaturi sumus de doctrina Leucippea et Democritea. A Zenone rerum naturae cognitione institutus Leucippus ut videtur Abderites novam et apud omnes pervulgatam philosophiae rationem condidit, qua singulis rebus quae in sensus cadunt dicebat atomos subesse. Ob eamque caussam omnia statuit esse infinita, unamque partem universi plenam, inanem alteram; plena parte contineri corpuscula infinita quae vi quadam impulsa in inanem illam circumcirca ferrentur et perpetuo concursu se efficienti praeberent ejusque actione fingerentur. Ex quo conflari corpora singula. Quae supersunt fusius exposita inveniuntur apud Laërtium et Bruckerum, cujus ex opere a Pierero quoque, videtur, si non ad verbum, tamen verbo tenus exscripta sunt omnia.

Tum Democritus Abderites, Damasippi filius ut quidam credunt et doctrinae studiis deditus et sapientiae a Leucippo inchoatam illam quidem rationem excoluit atque absolvit, cujus dein exemplum ut notum est om-

1) Cf. Jonsii de Script. hist. philosoph. l. I. c. 12. p. 67. Aristot. Met. l. I. c. 5. l. 2. c. 5.

2) Fabr. bibl. gr. Vol. I. p. 557.

nibus recentiores[1]) quoque sequi studuerunt. Hic autem vir a naturae bonis instructissimus quum itineribus multis in terras remotissimas[2]) susceptis a Magis et Chaldaeis theologiam accepisset, coeli scientiam et geometriam ab Aegyptiis, ipsisque gymnosophistis Indiae et Aethiopiae multum usus esset quumque animi tranquillitatem tamquam ultimum finem vitae sequeretur; tanta cupiditate discendi contemplandique flagrabat ut totum se in literis abderet atque omnia quae artium singularum complexu continerentur ad studia sua conferret. Ob eamque caussam in rerum domesticarum cognitione non acquiescebat, sed etiam in[3]) animalium dissectione multam operam impendendam putabat. Quod adtinet ad artem nostram Democritus ita sentiebat, corpus humanum ex aqua et limo[4]) gigni, ipsumque semen ex materia contineri. Fetum in[5]) utero alimentum ore recipere, ob quod simul atque in lucem editus est mammam adpeteret. Semen autem[6]) ex universis ac singulis partibus iisque nobilissimis corporis animalis oriri, quod idem Hippocrati visum est. Ac in femina[7]) quoque semen emitti, et prout femina aut mas naturae vi magis valeret femellam aut marem nasci; at monstra, ubi

1) Laërt. l. 9. c. 6. Cf. Pseudo-Orig. philosoph. c. XII. Scripta Cartesii, Gassendi, Neutonii et Leibnizii.

2) Laërt. l. 9. c. 7. Aelian. var. hist. l. 4. c. 20. aliisque locis. Cf. Clem. lib. I. strom. p. 304. Euseb. Praep. ev. lib. 10. c. 4.

3) Laërt. l. c. Senec. ep. 90. Vide quoque somnia Borrichii de arte chem. p. 69. De aliis scriptis ei subditis Couring. de herm. med. l. I. p. 29. Schulz. hist. med. Per. I. s. 2. c. 7. §. 53. Naude Apologie des grands hommes accuser de magic. ch. 12. p. 190.

4) Censorin. de die natali c. 4. Ista tamen sententia a Democriti ingenio ac ratione studiorum plane abhorret.

5) Plut. de plac. phil. l. 5. c. 16.

6) Ib. c. 3. Cf. Hipp. de morbo sacro, et libr. de aëre etc. ubi illud legere me memini.

7) Arist. de gener. anim. lib. 4. c. I. — 2. Cf. lib. 2. c. 4.

ex coitu crebriori semen feminae alio tempore ac maris fluxisset et coisset. Idem Democritus intelligebat vitam spiritu[1]) sustentari ab eoque nutritionem et vitae rationem pendere. Animalia sanguinis[2]) expertia dicebat esse minutiora quam in quibus viscera conspici possent; at in illis sanguine praeditis si in eo esset ut conglutinarentur, cor et hepar cerni. Ob idque vi sanguinis intestina singula enasci. Mularumque sterilitatem[3]) ita explicat, ut meatus uteri statuat vitiari, quod earum natura cum iis quae sunt alius generis non concrepet. Quibus omnibus comprehensis facile intelligi potest, Democritum pro suo singulari ingenio rebus difficillimis obscurissimisque operam dedisse, et id quoque perfecisse ut animos et aequalium et recentiorum maxime impelleret ad studia literarum altius colenda. Quam ipsam ob caussam non potuit effugere invidiam aliorum quibuscum studiorum similitudine conjunctus erat, quod quidem inde patet quod illum virum ut Celsi verbis utar jure magni nominis, λήρόκριτον[4]) malitiose adpellarit Epicurus, Plato illius ne mentionem quidem fecit, Aristoteles omnia ut solet ab eodem excogitata ac perpensa graviter reprehendit aut redarguit. Sed res ipsa Democriti studia singulari humanitate juncta ingeniique magnitudinem abunde declarat; etsi non is sum qui veteribus nimium tribuam. Quum autem de vita Democriti tradita sint multa quumque Hippocrates casu quodam cum eo amicitiae vinculis junctis familiarissime vixerit et per literas saepius colloquutus sit; non abs re fuerit non nulla subjungere, quod ita facilius est mores magni viri animumque cognoscere. Satis vero constat inter omnes, Democritum in studia rerum naturalium, mora-

---

1) Idem de spiritu c. 3.

2) Id. de anim. part. l. 3. c. 4. et quae sequuntur.

3) Id. de gen. anim. lib. 2. c. 7.

4) Vossius de philos. sectis c. VII. §. 12. p. 49.

lium, mathematicarum humanitatisque et singularum literarum omni pectore incumbentem omnes hominum societates fugisse solitariamque vitam in speluncis et sepulcris traduxisse, quo magis secum agens de rebus naturae cogitaret. Quum igitur caeteris rebus humanis prorsus contemptis in studiis doctrinae adsiduus esset quumque nescio an de hominum ipsum demirantium stupore subinde rideret, is ab his ipsis mente motus habebatur. Quocirca ab iisdem hominibus Amelesagoras ex principibus civitatis missus est ad Hippocratem, cui literas redderet quae significarent Democritum amentem esse, interdiu et noctu ridere ac vitam nihili facere; volucrum voces explorare, de inferis et daemonibus scribere multaque absurda tradere. Eamque ob caussam volebant rogatum[1]) Hippocratem ut ad ipsos veniret. Hippocrates se venturum promittit arte salutari laudibus summis elata. Itaque dedit literas ad Dionysium amicum qui se absente rei familiaris curam haberet; ad alium qui navem et medicamenta compararet. Et per somnum ab Aesculapio admonitus fuit ne Abderitarum sententiam sequeretur. Tum postero die Abderas adpellens omnes in portu congregatos incolas animique moestitia adflictos offendit. Qui quum animum collegissent Hippocratem clamore excipientes et gaudio exsultantes ad philosphum per forum deduxerunt. Hippocrates in alto colle conspexit populis stipatis Democritum sub platano patulis diffusa ramis sedentem super lapide cum veste crassa sine calceis. Ipse habebat librum genibus impositum aliis utrimque positis accumulatisque animalibus ex toto resectis; interdum scribebat intente, interdum quiescebat secum cogitans, tum deambulabat visceribus animalium inspectis. Quod quum Abderitae maxima cum animi perturbatione Hippocrati ostendissent, is salutans Democritum accessit. Hic ut

1) Haec tota res legitur in epistolis spuriis Hipp. p. 1273 ad 1286. De scriptis vide Fabr. bibl. gr. l. 2. c. 22. p. 803.

Hippocratis nomen audivit eum adsidere jussit interrogans, cur illuc profectus esset. Caussa autem rei audita de rebus ex intima philosophia petitis diu multumque disseruit, quod Hipppcrati admirationem injecit tantam ut non modo se doctiorem ab eo discessurum fateretur, sed eundem omnium Abderitarum sapientissimum doctissimumque esse profiteretur. Ita factum est ut quum Hippocrates Democriti jucundissimae consuetudinis fructu usus esset inter ejus discipulos referretur. Caeterum permulta scripta referuntur[1]) ad Democritum quae memorare non est hujus loci.

Nunc venimus ad Heraclitum Ephesium, Blysonis filium qui adolescens natura subtristis ingeniique acie praeclarus adsidua meditatione id adsequutus est ut[2]) facultates animi quasi demensus nihil se scire intelligeret. Discendi igitur initium ex semet ipso exorsus dein Xenophanis et Hippasi scholis interfuit indeque acceptis Pythagorae decretis postea rationem suam philosophiae conspersit. Ab omni hominum societate remotus vitae umbratilis amantissimus pro singulari animi sui natura totum se in cognitione rerum collocavit, adeo ut etiam rogatus a Dario ejus amicitiam et clementiam sperneret. Odio enim hominum commotus ex urbe discessit vitamque herbis et oleribus sustentans vixit in montibus, quo nihil pulcrius, nihil jucundius esse putabat. Nec vero ita multo post accidit ut graviter aegrotaret, si Laërtio fidem habemus; quumque medici convenissent neque tamen de morbi caussis et remediis consentirent, refutaturus eorum imperitiam ac petulantiam more suo obscuris verbis interrogabat, quonam modo ἐκ τῆς ἐπομβρίας αὐχμὸς ποιητέος. Quum ignari medici nihil quicquam respondere possent, merito sunt expulsi. Laborabat autem ex hydrope, quem ἀσκίτην Graeci vocant. Caete-

1) Fabric. l. c.

2) Plut. adv. Colot. p. 1118. Laërt. l. 9. c. 1. Conf. Suid

rum ut Democritum semper risisse, ita Heraclitum omnia humana deflevisse quod homines vitam sceleribus atque flagitiis contaminatam agerent, scriptores quidam confabulantur. Tripartitum scripsit librum de natura, republica et theologia, cujus ab ipso in templo Dianae repositi jacturam graviter ferunt. Illa autem scripta a Cratone in lucem protracta obscuritate erant tantâ, ut eruditi soli legerent, ne philosophiae arcana evulgarentur. Hinc ei nomen σκοτεινοῦ inditum Clemens Alexandrinus auctor est 5 Strom. p. 516. Etsi vero ex illo opere nihil nisi fragmenta reliqua sunt, Heracliteam tamen rationem ex allegoriis conflatam esse scimus. Ac primum quidem Heraclitus ita sensit, principium omnium rerum omnisque vitae ignem esse unde omnia διὰ πύκνωσιν nascerentur, διὰ μάνωσιν resolverentur. Illud effici per inimicitiam, hoc per amicitiam; ac continuato quodam motu ignis omnia tamquam flumen ferri. Cuncta igitur vi mutua quadam gigni et contineri; quod ubi interrumperetur aut haereret, omnia interirent necesse esse. Quaeque ex igne constarent ratione praedita esse animamque dare et deorum et hominum naturae. Aliis autem multis in rebus cum Xenophane consentire videtur. Atque haec dicta sint de praecipuis Heracliti praeceptis. Conferas quae infra de Hippocrate disseremus.

Haec habui quae dicerem de philosophorum quorundam studiis. Vidimus igitur philosophiam parvis

---

1) Cf. Plin. l. 7. c. 19. Laërt. l. c. unde omnia haec nostra sumpta sunt. Clem. Alex. quoque de eo multa passim narrat; itemque Sext. Emp. adv. math. l. 7. s. 126. Hesychii de iis qui erudit. claruerunt libr. Tertull. de an. c. 15. Mercur. var. lect. lib. 3. c. 19. De placitis Heracliti vide Olearii dissert. duas de princip. et γενέσει rerum ex mente Heracliti. Schleiermacher: Heraklitos, der Dunkle, von Ephesus; dargestellt aus den Trümmern seines Werks und den Zeugnissen der Alten. Wolf's und Buttmann's Alterthumswissensch. Bd. I. S. 313. Theod. Lud. Eichhoff disp. heracliteae. Mogunt. 1824. 4. De scriptis Fabr. l. c. lib. 2, c. 23. §. 4.

usam progressionibus omni modo cultam fuisse; animadvertimus sectas multas re maxime differentes procedente tempore exstitisse quarum quaeque locum habebat aliquem quem maxime explicaret aut illustraret, adeo ut plane nulla pars philosophiae praetermitteretur. Neque enim defuerunt qui in cognitione rerum quae sunt ante oculos positae adsiduo versarentur; alii earum rerum quae oculorum aciem fugiunt tractatu delectabantur; alii eam maxime colebant partem philosophiae quae ἠθική vocatur; alii denique fuerunt qui doctorum praeceptis non contenti diversissimam ab omnibus caeteris rationem philosophandi instituerent et ab antiqua institutione desciscerent. Hinc tanta multitudo philosophorum, hinc tanta varietas sectarum. Haec autem studia, illa dissensio sectarum temporumque necessitas ipsa, haec, inquam, maxime effecerunt ut medicina quippe quae in lumine philosophiae dumtaxat posita sit nec sine ea duce proficere possit effusius excoleretur et in dies magis magisque effloresceret. Attamen vero id quod vehementer doleo tunc quoque ista jam multorum communis consuetudo fuit ut a philosophiae jucunditate alienissimi medicinae vacarent, eamque imperite et horride factitarent. Hinc fit ut plerique qui ante Hippocratem vel ejus aetate vixerunt exiguam artis salutaris laudem adepti fuerint vixque commemoratione digni sint, Polycletus[1]) quidem, Philistio[2]) ejusque frater,[3]) Spittalus,[4]) Aegi-

---

1) Phalarid. ep. 70, 71. et ad Messen. ep. 21.

2) Galen. de nat. facult. l. 2. p. 103. t. I. rat. med. l. I. p. 38. infra. Ib. l. 2. p. 52. De facult. alim. l. I. t. 4. p. 206. ubi ait librum de victu ab aliis adscribi Hippocrati, ab aliis Philistioni etc. Comm. I. in lib. de morbis ac. p. 43. Idem fere legitur in Comm. 6. in aph. p. 302. Cf. Gal. t. 13. p. 965. Ed. Paris. ubi Phil. legitur scripsisse de med. succedaneis. Idem ut scribit Plutarch. symp. l. 7. p. 699 in ea sententia fuit, potum in arteriam asperam delabi. Cf. Gell. l. 17. c. 11.

3) Cael. Aurel. chron. l. 5. c. I. p. 555. Ed. Ammani 1755. ubi ejus libri XXII. de adjutoriis adferuntur.

4) Suid. ex Aristoph. Acharnens. v. 1031. 1220.

mius,[1]) Acesias,[2]) Diagoras,[3]) Aristo,[4]) Philetas, Pythocles, Acumenus[5]) et ejus filius, Eryximachus, Archidemus,[6]) Meto[7]) et alii. De quibus dicere quum longum sit, de iis modo qui nobiliores sunt pauca propósituri sumus.

Ex schola autem Pythagoreorum profectus Democedes[8]) Crotoniata, Calliphontis filius, primus apud suos medicinam praeclare fecit. Hic quum Darius Hystaspis filius ex equo desiliens talum[9]) pedis luxasset, eum postquam Aegyptii medici malum longe pessimum stulto fecissent bene sanavit malvae mollitia adhibita. Item-

1) Gal. de tuenda val. serm. 2. p. 243. infra t. 4. De diff. puls. l. I. t. 3. p. 8. in dubio est liber de pulsibus ab hoc editus sit an ab alio. Ibid. l. 4. p. 44. et 49.

2) Athen. Dipn. l. 12. refert cibos condiendi praecepta ab eo esse tradita. Acesias artem medendi pessime fecit, unde proverbium illud: Ἀκεσίας ἰάσατο. Cf. Zenob. Cent. I. prov. 52. Ja. Baier. Adag. Medicin. centur. Lips. 1718. p. 5.

3) Nescio an idem sit quem sexcenties adfert Plinius in hist. nat. Cf. Dioscor. l. 4. c. 43. Aët. Tetrab. II. serm. III. c. 108.

4) Cels. l. 5. c. 18. Gal. med. secund. loc. l. 9. t. II. p. 299. et aliis locis.

5) Plat. Phaedr. p. 210. Cf. Leonis Allatii not. ad Xenoph. de fact. et dictis Socr. p. 185. De Acumeni filio multa disserit Plat. Symp. p. 181. Cf. Protag. p. 285. Phaedr. 210.

6) Gal. de virt. med. simpl. l. II. t. 2. p. 19. refert a Diocle in Archidemo dici, Archidemum cutem oleo fricandam ex balneo improbasse, quod ea quasi rigesceret et adroderetur. Ille tamen convincitur a Galeno. Cf. ibid. p. 20. 22. 24. 25.

6) Plut. Vit. Alcib. Diod. Sic. lib. 3. c. 2. Ael. var. hist. l. 10. 7. et l. 13. c. 12.

7) Le Clerc. l. c. p. 90. seq. et Schulz. p. 170. quibus tamen ne nimium tribuas. Illi videntur sua deprompsisse ex Herod. lib. 3. c. 125. Ed. Steph. p. 210. Cf. Tzetzes hist. 9. c. 3. Dion. Cass. 38. p. 210.

8) Herod. ibid. c. 129. ubi res copiose exponitur. Cf. Mercur. var. lect. l. 4. c. 3.

que Darii uxoris Atossae[1]) mammam ulcere adfectam in integrum statum restituit. Hinc apud Darium maximo in honore fuit tantamque iniit gratiam ut cum eo mensa communi uteretur. Librum de medicina a Democede relictum fuisse memorat Suidas.

Tum Agro Agrigentinus Empedoclis aequalis artem medendi magna cum laude fecit; quem quum Empedocles physicus commendasset in Sicilia empiricae scholae auctorem fuisse adfirmant Plinius, Galenus vel quisquis est et Suidas. Alii tamen dicunt illam scholam profectam esse ab Herophilo, sed forsan auctoritate male intellecti loci. Galenus ipse aut in errorem ablatus aut livore perfusus addit, Philinum Coum quum occasione ab Herophilo magistro accepta empiricam a rationali sejunxisset eam ut vetustate et claritate caeteris praestaret ab Acrone institutam dixisse. Galeni oratio autem eam suspicionem injiciat. Neque dubitamus quin schola illa jam ante aetatem Herophili instituta fuerit, quum Hippocrates eam ipsam non satis potentem ad judicium rationis exigendam censuerit. Adde quod Plinii auctoritas plus valeat quam Galeni. Nec enim ab illo narrata de veteribus suspecti quicquam habere videntur nec ejusdem levitas in plantis describendis sententiam eam nostram convellere potest. Quae si ita sint Acro conditor illius sectae existimandus est, quamvis id inter recentiores ambigitur. Utcumque vero res se habeat certe Acro medicinam exercuit. Eum enim suasisse quum pestilentia Athenis saeviret et magnas strages ederet ut ignem prope aegrotos accenderent, videre licet apud[2]) Plutarchum. De morbi caussa cer-

---

1) Herod. ib. c. 133 — 134. p. 214. Cf. Suid. in Ἄττοσα. Chrysost. diss. prim. de invidia p. 652. Ed. Sylb. Matth. Koenig. in bibl. vet. et nov. meminit quoque Democedis.

2) Plin. 29, 1.

2) Gal. Introd. t. 4. p. 372.

3) Plut. Is. et Osir. p. 383. Diog. Laërt. l. 8. c. 2. n. 9. Aët. Tetrab. I. l. I. c. 94. Paull. Aegin. l. 2. c. 35. Hier. Merc. l. c. 2. c. 18.

tus id perfecit ut udum aërem calidum siccumque ac meliorem redderet. Ab eodemque praecepta medendi accepisse Hippocratem contendunt Mercurialis et Vossius, infirmis tamen innixi rationibus. Acro denique ut notat Suidas de re medica et de victu sanorum dorice scripsit.

Nec praeterenndus est Iccus Tarentinus[1]) athleta, qui in gymnastice versatissimus eam in medicinam primus introduxisse dicitur. Idcirco tenuitate victus tanta uti solebat ut Icci coena de iis qui egene coenantur proverbio diceretur. Etsi autem certum est omnes luctando facile ab eo victos esse, persuadere tamen mihi non possum ab eodem gymnasticen in hunc usum satis considerate adhibitam fuisse ut aegrotis auxilium ferret. Athletarum enim mores longe alii sunt ac medicorum. At gymnasticen ita adhibitam fuisse a Prodico Hippocratis magistro[2]) quem Herodicum perperam scribunt, equidem non dubito. Prodicus enim ludi magister celebris nec minus artis salutaris peritus quum ipse[3]) morbi vi graviter adflictus esset sine ulla spe salutis, tum corpus ejusque membra semper fricuit et inter medicamenta crebris exercitationibus usus est, ita ut jam jam mediis faucibus mortis se eriperet atque ad sanitatem rediret. Haec igitur occasio salubritatem exercitationum corporis in se ipso observandi illum eo adduxisse videtur, ut gymnasticen tamquam salutarem medicinam morborum invictorum semper fere adhibendam judicaret. Quam tamen quum singulis in morbis opiferam esse pro sua animi exilitate existimaret; necesse erat pleri-

---

1) Aelian. var. hist. I. 11. c. 3. Plat. in Protag. p. 283. infra. Paus. Eliac. II, 10. Cf. Stephan. in Τάρας, et Eustath. ad Dionys. Perieg. 376. et ad Homer. Il. 5. p. 610. Ed. Rom.

2) Soran. in Hipp. vita. Tzetz. Chil. 8. hist. 155. Suid. in Ἱπποκρ.

3) Plat. de rep. l. 3. p. 390. Plin. l. 29. c. l. eum ait fuisse auctorem iatraliptices.

que aegroti ob id ipsum in summum vitae periculum atque discrimen adducerentur ipsamque mortem obirent, id quod Hippocrates [1]) ejus discipulus optimo jure graviter reprehendit. Insuper cave ne hunc Prodicum cum fratre Gorgiae Leontini confundas, qui paullo post in lucem editus aegrotis quoque non noluit opitulari.

Euryphon Cnidius ex familia Asclepiadarum Hippocratis aequalis, sed eo natu major, ex schola Cnidia cum Coa semper certante omnium quos memoravimus clarissimus artem medendi studio magno coluit. In cadaveribus dissecandis et in aliis rebus quae artem medicam adtingunt haud mediocriter exercitatus optimam subinde videtur instituisse rationem medendi, at ab imperitis aut ignoratam aut etiam in abusum avocatam. Aquam inter cutem vomendo purgandoque educere solebat interpositis fomentis; tabescentibus lac femininum non temere adhibebat. Caeterum tamen a communi consuetudine Cnidiorum minime abhorrens singulis in rebus quae morbo sunt adnexae et in medicamentis idoneis cognoscendis magis versabatur quam in totius morbi natura ac forma observanda. Euryphontem non nulla scripsisse de vi et usu [2]) medicamentorum, etiam de anatomia et medicinis vicariis, tradidit nobis Galenus. Ab eodem Hippocraticus liber de victu in morbis acutis confectus esse putatur, quod equidem rationibus quibusdam alibi proferendis ductus addubito. Supersunt pauca quae alio loco adtingemus.

---

1) Hipp. lib. Epid. VI. sect. 3. p. 1176. Cf. Gal. Comm. 3. in lib. epid. 6. t. 5. p. 488. Prodici nomen persaepe legitur apud Galenum; at ipsius Galeni aetate dubium jam fuit quis Prodicus ille esset, Selymbrianus an Leontinus. Cf. Plut. de san. tuenda p. 126.

2) Gal. comm. 2. de nat. hom. p. 22. t. 5. De his quae sequuntur vide Aurel. Chron. l. 3. c. 8. p. 485.

3) Gal. praef. Comm. in lib. VI de facult. med. simpl. p. 68. t. 2. Cf. ejusd. lib. de diff. spirit. initio p. 188. t. III. Comm. I. in lib. VI epid. p. 455. t. V. De facult. alim. p. 306. t. 4. Cael. Aurel. Acut. l. 2. c. 16. p. 115 et aliis locis.

Ex eadem schola prodiit Eudoxus Cnidius medicinae peritus, qui non modo corporis, sed sensuum quoque[1]) exercitationes ad sanitatem tuendam recuperandamve conducere dicebat. Sed longe nobilior et excellens doctrinae studiis est alter Eudoxus Cnidius[2]) Aeschini filius medicus idemque philosophus qui in celebriorum Pythagoreorumn numero habendus est. Is quum medicinae studio geometriam astronomiamque conjunxisset tanta ardebat cupiditate discendi ut tamquam Phaethon[3]) a sole deflagrare mallet, modo ejus naturam cognoscere posset. Curiosissimique hujus hominis scientiam rerum coelestium permagnam fuisse ferunt. Artem medendi videtur accepit[4]) a Philistione Locro. Sed annum agens aetatis vigesimum tertium Socraticorum gloria incensus Athenas se contulit cum Theomedonte quodam medico ab quo ipsius inopia rebus necessariis sublevaretur. Tum annis duobus exactis postquam in Aegyptum cum Chrysippo iter fecisset in patriam rediit ibique liberalissime exceptus est. Inde ab illo tempore geometriam, astrologiam et medicinam ex legibus secretis[5]) Pythagorae docere coepisse traditur. Ex quo evenit ut Pythagorae decreta ab eo ad Chrysippum, ab illo ad Erasistratum et ad alios deinceps permanarint. Praeterea Cnidiorum talem medicinam fuisse ut morbi symptomata et eventus maxime observarent et ea singula pro morbis haberent natura ipsa morborum plane neglecta, constat inter omnes. Ab Eudoxo commentaria fuerunt relicta de medicina, ut tradit Diogenes Laërtius.

---

1) Laërt. l. 8. c. 8. n. 5.

2) Laërt. ib. c. 8. n. 1. Suid. in Eud. Athen. lib. 7. Phanocriti liber de eo scriptus intercidit.

3) Plut.: Non posse suaviter vivi etc. p. 1091.

4) Cf. praeter Laërt. l. c. Clerc. l. c. P. I. l. 3. ch. 43. p. 253. Schulz. l. c. P. I. S. 3. c. 6. §. 3. p. 310.

5) Theod. Therap. l. 9.

Verum admodum miror quod ejus ne semel quidem mentionem injicit Galenus.

Huc denique accedit Ctesias, Ctesiochi filius ex Asclepiadarum familia[1]. Xenophontis aequalis, medicinam quasi heredariam adeptus, cujus scripta et medica et historica omnia intercidisse vehementer dolent. Ex monumentis autem veterum intelligi potest, eum ionice scripsisse libros viginti tres de rebus Assyriacis et Persicis, unum de rebus Indicis ex quibus excerpta quaedam Photius nobis reliquit, etiam de montibus et fluminibus et denique de tributis Asiae. Ctesiam eundem pugnae illi quae prope Cunaxam decerneretur adfuisse narrat Xenophon. Sed ipse in exercitu Cyri aut Artaxerxis fuerit necne magna est quaestio. Certe vero Artaxerxi quum ei gravissimum vulnus pectoris Cyrus frater intulisset opem[2]) se tulisse ipse ait. Diodorus tamen illum tradidit captum fuisse in expeditione adversus Cyrum et ob medendi peritiam septemdecim annos cum Artaxerxe honorifice consuevisse. Idemque Parysatidis medicus fuisse narratur. Verum in medicina an multum profecerit in medio relinquo.

His quam brevissime expositis constituimus de Hippocratis vita, moribus et studiis deque iis rebus quae ad ejus animum bene excolendum fecerint copiosius disserere, sed ita tamen ut ne lectoris animum fictis exiguisque rebus obrueremus. Hippocrates autem ex[3]) Asclepiadarum familia natus fuit patre Heraclida et matre Praxithea Phaenaretae filia Olympiadis octogesimae anno primo in insula Co (hodie Stingo) regnante apud Coos Abriada; anno secundo Olympiadis centesimae primae Larissae in Thessalia mortuus ac sepultus dicitur. A natura bene informatus accepit eas artes qui-

---

1) Gal. Comm. 4. in lib. de arte. p. 652. infra t. 5.

2) Xenoph. Cyri Exp. l. I. c. 8. n. 25. Strab. l. 14. Plut. in Artax. c. 11. et seq.

3) Plat. in Protag. p. 282. fere in initio. et in Phaedr. p. 211.

bus animus juvenilis ad humanitatem excoli solet et medicinam more recepto a patre artis salutaris peritissimo posteaque Prodico Selymbriano medico traditus est. Sed ad philosophiam eum instituisse creditur Gorgias Leontinus Empedoclis discipulus. At Democritus ut quidam volunt an Hippocratis praeceptor fuerit magnopere dubito, quum hic ut videtur multo post quam medicinam instituit in ejus familiaritatem demum venerit. Tota tamen haec res in ambiguo est. Neque vero possumus negare, Hippocratis philosophiam Democriteam illam aliqua ex parte redolere, si modo ista scripta quae eam notam sibi habent inustam inter genuina referrentur. Pleraque autem omnia ita graviter scripta ab Hippocrate sunt ut nihil absit a severitate Heraclíteae philosophiae. Atque illum omnino Heracliti rationem maxime sequutum fuisse ostendit comparatio eorum quae utrique horum virorum placuerunt accurate introducta. Si quisquam igitur alius, Heraclitus ejus magister fuit. Sunt etiam qui existiment rationem Hippocratis ab Empedoclea nihil abhorrere. In quem tamen errorem quivis facile incidere potest qui immemor sit a Gorgia Leontino praecepta Empedoclea Hippocrati tradita esse ipsamque philosophiam Empedoclis ad Heracliteam prope accedere. Horum enim uterque ignem omnium rerum principium esse statuit. Verum haec sint obiter dicta. Hippocrates autem ut ad medicinam se conferret tantum non tam fama Coae scholae quae tunc maxime vigebat quam patris studium atque cohortatio valuisse videtur. Quamquam vero nos operae pretium non facturos judicamus si illam rem diligentius pertractemus, molestissime tamen ferunt omnes eruditi quod de Hippocratis vita nulla nisi pauca fragmenta ex aliis [1]) scriptis decerpta ad aetatem nostram pervenerint.

1) Vita Hippocratis quam habemus a Sorano Ephesio composita est ex Sorani Coi Vitis medicorum et ex scriptis Histomachi Ephesii *περὶ τῆς Ἱπποκράτους αἱρέσεως* atque Andreae *περὶ τῆς*

Quaeque ibi leguntur incerta admodum ac suspecta sunt in quibus suum quisque ingenium si vera a falsis secernere velit maxime acuere possit. Nec etiam in hac re plus valet fides atque auctoritas Arabum, a quibus quidem multa quae a vero nihil abhorrent eaque longe meliora tradita sunt. In his maxime excelluit omnibus Dschemal-eddin Abu-l-hasan Ali Ben Jusuf El-Cofti, cujus ex bibliotheca excerpta nonnulla in lucem prodidit Casiri. Accedit Thabit Ben Corra qui de numero Hippocratum scripsit. De qua eadem re in libris ineditis Hadschi Chalifae, Taschcoeprisadae aliorumque multa leguntur. Arabes autem potissimum post aetatem Harethi Ebn Chaldae quum Elmansor avus Elmamunis graviter aegrotans a Georgio filio Bochtischuae curatus esset in medicina Hippocratis multum versari solitos ex eoque tempore scholam uberrimam cui Bochtischuae per longum temporis spatium praeerant Jondisaburi maxime viguisse memoriae proditum est. Sed horum omnium plus interfuit cognoscere Hippocratis medicinam ejusque scripta quae essent genuina, quam de illius vita quaerere. Itaque Hippocratis scriptis reliquis contenti esse debebimus quae ex quo ingenio fluxerint satis superque declarant.

Hippocrates medicinae studiis et sapientiae deditissimus quum ea quae a magistris didicisset aut cogitatione diuturna et cognitione adsequutus esset variis adsiduisque observationibus confirmare cuperet, disjunctissimas terras peragravit, Colchidem quidem, Scythiam, Tauricam et alias regiones a septemptrione ortuque ad Pontum Euxinum sitas. Etenim Dioscurias et Phasis in regione Colchorum, ad Maeotidem Taurica Chersonesus, Panticapaeum ad fretum Bospori intra peninsulam quae

---

ἰατρικῆς γενεαλογίας Cf. Suid. in Hippocr. Tzetzis Chil. 7. hist. 155. Praeterea scripta Tiraquelli de nobil., Petri Castellani t. x. Antiq. Graec., G. Vossii de philosophia, Herm. Couringii introd. ad art. med. ab Schelhammero auctam. Th. Bartholini de Medicis Poëtis etc. et Henr. Meibomii comm. in jusjur. Hipp., Pierer biblioth. iatr. Vol. I. sect. II. p. 39.

Taurica vocatur, et Theodosia, Olbia ad Borysthenem frequentissimae fuerunt coloniae celebratissimaque emporia. Omnia quae illic animadvertisset literis consignavit. Quid differret Asia ab Europa scire ejus plurimum interfuit. Scytharum quoque et maxime eorum qui Sauromatae dicuntur mores ac vitae communis instituta egregie exposuit, in primis tamen morborum quibus illi obnoxii essent ratione habita. Post profectus fuit in Thraciam, Abderam quidem et in Thasum aliasque in urbes a Thracia non longe distantes Thessaliae, Larissam, Meliboeam, Cranonem, Pheras, Triccam; Pellam in Macedonia, Olynthum et Acanthum. Eumdemque Hippocratem[1]) Emessae aliquamdiu habitasse et inde Damascum ob hortos maximos ibi cultos saepe ambulasse, tradit Abulfaradsch. His omnibus in locis, maxime tamen in Thaso insula Nesti ostiis ex adverso posita terram, regionem, coeli tempestates familiaresque ventos et aquas, atque morborum inde nascentium varietatem maximam diligentissime observavit et omnia usu edoctus ad naturae effigiem egregie exposuit. Ut rem paucis absolvamus levissima quaeque non praetermittenda censuit. Haec igitur itinera in eum usum facta esse ab Hippocrate ut uberiorem exquisitamque medicinae notitiam consequeretur, id persuasissimum habemus. Attamen Tzetzes eum prodidit ideo profugisse in Thessaliam, quod bibliothecae custos in patria constitutus hanc totam cum libris vetustiorum medicorum γραμματοφυλακεῖον incendio delevisset. Quae quidem flagitia a sanctimonia viri tam insignis candidique vehementer abhorrent nec ullam habent auctoritatem. Hippocratem enim ut ingenii acumine ita omni genere virtutum praestitisse ac vitam omnem integram egisse, ita ut ei nec anteponendus quisquam nec comparandus sit, ipsius scripta satis testantur. Itaque pro singulari sua humanitate eximiaque de re publica bene merendi voluntate saluti hominum nunquam defuit, id quod si

1) Abulfar. Hist. Dynast. compend. p. 86.

non historia, ejus tamen dicta et facta declarant. Hinc circumforaneos circulatoresque iisdem fere verbis prosequitur, quibus Socrates Athenienses.

In omni igitur genere artium et virtutum excellens rediit in patriam et scholam ibi jam pridem institutam nominis sui splendore nobilitavit. Neque tamen potuit Hippocrates ad amplitudinem suam ante pervenire quam Magarius et Hipparchus studiorum similitudine ipsi conjuncti naturae debitum reddidissent. Quae in Thaso aliisque in locis acriter observando cognoverat in usum civium communem jam transferens medicinam quae adhuc vulgaris et sine fundamento disciplinae fuerat firmissimis confirmatam principiis certissimisque eventorum observationibus auctam, perpetuis artis praeceptis munitam et tamquam ex servitute in libertatem vindicatam in summum fere fastigium evexit. *Sic in ruinam prona sunt quae sine fundamento crevere.* Nam sacerdotum medicinae ceremoniis sacrisque simulatae et iatralipticae finem fecit unus Hippocrates. Parentum igitur majorumque argutiis et somniorum figmentis prorsus contemptis ab illorum more decessit et ita quasi degeneravit ut ex se ipso natus videretur. Naturae veluti voce exaudita medicinam universam ab ineptiis[1]) fallaciisque sophistarum sejunxit singulisque partibus artis facem philosophiae praeferens eam ab omni superstitione anili vindicatam in experimentis posuit ratione duce sollerter adjuncta. Alii enim notionum genera non idonea rati omnia ex usu repetenda putabant, alii contrariam eis rationem sequebantur; adde quod quae ex usu cognita haberent aut sola ratione adsequuti essent plerumque male adhibuissent oscitanterque hallucinati essent, ut Parmenidi accidit. Quarum rationum utraque quum proximum suum habeat finem, unam cum altera ut debuit apte conjunxit Hippocrates. In eamque se consuetudinem adduxit ut singulis in rebus naturam ducem certissimam omnisque veritatis magistram

---

2) Cels. Praef. l. I. Plin. 29. 1.

sequeretur atque omnia quae et bene et male evenissent literis consignaret. Haec ex uberrima quasi officina naturae deprompta in animum transferens et revertens ad artis lineamenta accommodavit et communi quasi vinculo inter se nexa ita limavit omnia ut ex uno codemque fonte perenni manare viderentur.

Sed ut oratio nostra via quadam ac ratione procedat primum brevi exponemus Hippocratis sententiam de universitate rerum. Ac de rebus coelestibus statuit disputari non posse quod mente concipi non possent, nisi quis iis uteretur ad rem aliquam de hominibus caeterisque animalibus demonstrandam. Ex his enim rebus homines constant animosque habent delibatos; unde fit ut tam[1]) bona quam adversa valetudo et ipsa mors ab iisdem pendeat. Caeterum arbitrabatur res quattuor esse quibus mixtis inter se ac temperatis orirentur omnia. His igitur principiis et homines et res alias extrinsecus oblatas contineri. Cui numero quattuor quum respondeant primae qualitates, calor, frigus, humiditas, siccitas; in earum conjunctione multa recondita invenire se posse putat. Itaque in ea videtur sententia fuisse, dum ista principia penitus permixta inter se et conjuncta essent incorruptam esse sanitatem, et e contrariis contraria. Sed ob id ipsum mirari non satis queo, si apud Hippocratem nulla fiat mentio humorum qui cardinales vocantur. Ex eorum autem temperie quadam demum Plato quantum nos scimus caussam morbi repetendam censuit. Ignis vero primum movens Hippocrati visum est, aqua patiens, lex una cuncta et divina et humana regens. Calori dat immortalitatem et eum intelligere omnia, videre et audire sentireque et praesentia et futura. Hinc fit ut quae temperatione quadam vigent et crescunt plurimum caloris sibi habeant innatum. Quam ob caussam etiam homini dedit calorem innatum cujus vis varia magni esset mo-

---

3) Cf. Platon. Phaedr. p. 211. ubi disserit, secundum Hippocratem naturam corporis animique ex natura universa explicandam esse.

menti ad morbos conflandos. Lex autem omnia gubernat. Nihil enim nascitur interitque quod antea non fuerit; at quae apta inter se atque copulata sunt tantum mutantur. Ergo animal interire non posse nec generari quod non est, quia non est unde creetur. Omnia vero augentur et imminuuntur. Unumquodque ad omnia et omnia ad unumquodque idem sunt. Quod ut fiat efficit lex naturae suprema rerum universarum molitrix et gubernatrix. Omnia igitur quae creantur necessitati parent. Quaedam eorum quae proposuimus non sunt ab Hippocrate ipso tradita, sed ab ejus discipulis.

Tantum autem abfuit ut Hippocrates dialecticorum argutiis teneretur, ut potius ab iis vehementer abhorrens naturae tam diligentem fabricam omni studio omnique cura contemplaretur. Hinc tempestatum vicissitudines, coeli varietatem variumque terrarum situm, ventos et aquas, hominum vitae instituta earumque rerum singularum quam magna vis esset ad morbos gignendos fidelissime observavit. In eaque exercitatione observandi mox animadvertit, morbis tam exteriores quam interiores caussas saepe subesse, cujus rei rationem maxime habendam semper censuit. Praeterea in eo quoque elaboravit ut morbi naturam recte cognosceret ac leges quibus obstrictus ille decurrit plane videret. Cujus vero rei quaestio quum perardua esset difficilesque haberet explicatus, certa quaedam stadia morborum ut sunt distinxit et minima quaeque eorum momenta non praetermisit; quibus notatis comparatisque quando et qua via vis morbi reprimeretur vinceretur que praedicendi ab eo eventura in morbis praecepta sunt inventa. Tota igitur haec ratio doctrinae ut retroactis saeculis ab aegrorum tricliniis longe abfuit, sic ab Hippocrate copiose tractata omnibusque suis partibus absoluta est. Sed ea ars quum non modo medici dignitatem sartam tectam tueatur omnique invidia liberet, sed et aegros illius fiducia et spe salutis compleat atque erigat; eam penitus cognitam compertamque habere nostra omnium interest. Quamquam vero Hippocrates in omnibus his

rebus maximam collocabat operam, morbis tamen dum eorum vis magis ingravesceret vel crudesceret nullam adhibere medicinam solebat, veritus ne efficacitati naturae officeret ejusque beneficia amitteret. Curandi igitur ratio tunc altissimis obruta tenebris nunc magno consilio instituta ab Hippocrate hunc maxime habebat finem, ut naturae viribus vim morbi unice infringentibus subveniret operasque ferret mutuas. Ac morbo quasi stante et ordinem servante nudam simplicemque medicinam dabat. Ita fit ut ab Hippocrate non ita saepe medicinae mentio moveatur et aegroti ipsi in summum vitae discrimen adducti fuerint, plerique etiam mortem occubuerint. Hoc vero primum est in quo Hippocratis strenuitatem observandique fidem et laudis aliarumque rerum despicientiam admiremur. Neque tamen singulis in rebus talem se praebuit, quin etiam morbi atrocitate impulsus saepe tantum detraxit sanguinis, idque si fieri posset e vicinitate loci male adfecti, ut aegroti paene anima deficerent; morbique judicio imminente alvi evacuandae curam habuit. Convalescentes ex morbo ut cibis plenis crebrisque exercitationibus uterentur vehementer cohortatus est. Hippocratem autem in chirurgice quoque non minus exercitatum fuisse ab eodemque multa ad eam pertinentia instrumenta reperta esse satis patet ex iis scriptis quae ea de re nobis relicta sunt.

Quod extremum est Hippocrates omnia quae a magistris accepta diuturna observatione longique temporis usu emendasset auxissetque aut adsidua meditatione et acri studio adsequutus esset primus memoriae prodidit, eoque effecit ut medicina universa tunc tamquam hereditas a patribus tradita liberis nunc ex umbraculis eorum sacerdotumque in lucem protracta ad alios quoslibet permanaret. Opera autem sua immortalia in patria confecit tabulis votivis ut dicunt in Co et Cnido reservatis apte usus; rerumque ad artem pertinentium obscuritati admirabilem cogitandi agendique adhibebat sollertiam et cogitationes suas observataque paucis verbis complexus nude quidem et sincere ita exposuit, ut vivum

quoddam ac spirans simulacrum naturae in scriptis ejus contueri nobis videamur. Quapropter nobis scripta Hippocratis diligenter legentibus et in hujus ingenium summum et doctrinam eximiam, brevitatem dicendi atque ubertatem rerumque gravitatem intuentibus tanta movetur admiratio, ut nihil nisi oracula et voces divinas ab eo editas esse facile, existimemus. Ac profecto quidem in illis operibus semina artis divinae dispersa sunt ex quibus orta sunt omnia quae in tota medicina nostra cernuntur. Quid igitur quaeram? Prorsus nihil abest quin credamus Hippocratem de genere humano immortaliter meritum merentemque majora effecisse quam pro unius hominis viribus. Quare vir admirabilis illo quidem ita exstitisse videtur ut ab ejusdem nominis familia deinceps observata notataque et temporum aeternitate confirmata atque eorum fructus uberrimos diurnis nocturnisque vigiliis collectos posteris traderet viamque ad verum proximam et quasi compendiosam aperiret. Quae si ita sint et si nostra intersit saluti et commodis rei publicae bene consulere, eam omnino debebimus stirpem ex qua nosmet ipsi nati sumus acriter ac religiose colere, ut ne nobiscum iniqua obruta oblivione jaceat, nedum temporis injuria prorsus intermoriatur.